



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXII. De Conversione Conjugatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

in corrigibilitate Prælati possent religiosos è monasteriis ejicere.

10.
Exponitur
can.
21. Synod.
Rom.

Sed supra traditis obstat Synodus Romana sub Gregorio VII. can. 21. ibi: *Monachi, qui relinquunt suum habitum, vel absque licentia sui Abbatis vagantur, non recipiantur.* Ex quibus verbis expressè constat, monachos fugitivos, & vagantes non

esse amplius recipiendos: igitur frustra animatum requiruntur. Cui difficultati respondendum est, illa verba, *non recipiantur*, non esse referenda ad Prælatum proprium ipsius monachi fugitivi, sed ad alios Prælatos, sive Regulares, sive seculares, juxta textum in cap. 3. 20.

9. 4.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

CAPUT I.

Alex. III. *Eliensi* (a) *Episcopo.*



Præterea, utrum laicus uxoratus, qui presentibus sacerdotibus, & monachis, ignorante Episcopo, de licentia, & permissione uxoris suæ monasterium ingressus, & fortè professionem fecit, uxore in seculari habitu remanente, nec ad religionem transeunte, aut perpetuam continentiam vovente, ab Episcopo suo possit ad thorum uxoris revocari, an illa compellenda sit ad observationem continentia pertransire? Dicimus, quod nisi uxor ad religionem transierit, aut castitatem perpetuò servare promiserit, vir debet, & potest ab Episcopo de monasterio revocari; quia cum una caro sint effecti, non debet una pars in seculo manere, & altera ad religionem & castitatem transire. Verumtamen uxor monenda est, & propensius exhortanda, ut ad religionem transeat, & castitatem servare promittat.

NOTÆ.

2. (a) *Eliensi.*] In appendice Concilii Lateranensis, p. 5. cap. 4. legitur *Herefordensi*; sed in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. habetur, *Hiriensi*; & additur pars capituli Super eo; unde agnoscitur, in presenti referri partem textus in cap. super eo, de regul. & ita legendum esse, *Eliensi*, ut jam in ipso notavi.

tonius Augustinus in epit. jur. lib. 9. tit. 11. Concilium Abrincense tempore Alexandri III. can. 10. *Vir ad religionem non transeat, uxore in seculo remanente, vel conversi ambo vacandi operibus carnis tempus exceperint.* Illustrant ultra congeles à Haranna, & Barbola hic. Idem Barbola de potest. Episcop. alleg. 10. num. 45. & de jure Eccles. lib. 1. cap. 33. num. 126. & cap. 35. num. 12. & cap. 42. Basilius de marim. lib. 9. cap. 11. 12. & 13. & lib. 10. cap. final. Lantmetter. lib. 2. de veteri mon. cap. 102. Bellarminus tom. 1. controvers. lib. 2. de mon. cap. 37. Acuña in cap. assumi, distinct. 28. & in cap. 14. distinct. 32. & in cap. Episcopus, 77. distinct. Espenceus lib. 6. de voto continentia, capite 1. Azor tom. 1. instit. lib. 12. cap. 1. D. Nicolaus de Castro in §. 1. Instit. de emptione, num. 68. Tondutus resol. canonic. cap. 116. Wading, ad opera D. Francisci, fol. 246. Gazæus in notis ad Cassianum, collat. 21. cap. 9. fusè Thomas Hurtado tom. 2. de respondent. resol. 1. per totam. Cujacius in Novella 22. Justin. Balboa in cap. Gaudemus, num. 178. de divor. P. Gregorius lib. 3. parit. tit. 2. cap. 4. Joannes Datis ad Decret. in 27. q. 2.

COMMENTARIUM.

2. **E**X hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Vir non potest religionem ingredi, uxore remanente, immò nec consentiente, nisi simul convertatur ad religionem, si juvenis est; aut castitatem in seculo promittat, si senex.* Probant eam textus in cap. multorum, cap. Agathosa, cap. quia Agatho, & ferè per totam 27. q. 2. cap. si tu abfines, & ferè per totam 27. q. 2. cap. 14. 32. dist. cap. Episcopus, 77. distinct. cap. cum sis, cap. uxoratus, hoc titulo, cap. cum causa, §. præterea, de raptor. cap. lege 2. §. beatus, distinct. 10. cap. una sola, cap. quod Deo, cap. secundum 33. quæst. 3. Gregorius VII. in Synodo Romana anno incerto, cap. 20. ibi: *Si conjugatus vult monachus fieri, ex consensu mulieris fiat, ita ut illa fiat monacha, vel profiteatur castitatem; quia eo vivente monacho, nunquam habebit alium; similiter de muliere. Si quis istorum prævaricator fuerit mandatorum, excommunicationi subiaceat.* Refert An-

Sed pro dubitandi ratione expendam caput 9. collationis 21. Cassiani, in quo singulariter Abbatis Theonæ factum narratur, qui dimissa uxore etiam invitâ, & reluctante, ad Eremum, & monachatum se contulit, rationibus illis motus,

motus, quas refert Cassianus per hæc verba: [Cumque huiusmodi obsecrationibus jugiter persistenti conjux durissima non præberet assensum, seque diceret solatio maritali pro ætatis suæ flore penitus abstinere non posse, ac proinde si quid deserta ab eo criminis admisisset, illi potius adscribendum, qui conjugii fœdera dirupisset. Ad hæc ille, cum diu conditionem naturæ prætidisset humana, quam fragilem, & incertam; periculosumque esset, smalibus desiderii, & operibus diutius implicari, adjiciens adstruebat, non licere cuiquam ejus se boni extorrem facere, quod didicisset, majorisque esse noxæ despiciere cognitam bonitatem, quam incognitam non amare: proinde se jam reatu etiam prævaricationis involvi, si inventis tam præclaris, tamque cœlestibus donis, terra, ac solida prætulisset. Ad omnem sanè ajebat ætatem, omnemque sexum perfectionis magnificentiam pertinere, & diversa Ecclesiæ membra ad conscendendam sublimium meritorum celsitudinem provocari, dicente Apostolo 1. ad Corinthios, cap. 9. Sic currite ut comprehendatis: nec propter lentorum, & segnium moras, paratos, atque alacres debere subsistere, cum rectius sit, ut desides à præcurrentibus incitentur, quam ut properantes à residentibus obligentur. Proinde statutum sibi dicebat, decretumque esse secundum illud Matthæi cap. 18. renunciare seculo, ac mori mundo, ut vivere posset Deo: & si hanc beatitudinem nequeat obtinere, ut cum socia sua in consortium transeat Christi, malle se vel cum unius membri dispendio salvum fieri, & velut debilem introire in regnum cœlorum, quam cum soliditate corporis condemnari, ut probatur ex Deuteronomii cap. 2. ex Matthæi cap. 19. & Exodi cap. 20. Adjiciebat autem etiam ista, dicens: Si Moyles pro duritia cordis dimitti permisit uxores, quare hoc non sinat Christus pro desiderio castitatis, præsertim cum idem Dominus Luca cap. 14. & Matthæi cap. 19. inter cæteras affectiones (id est patrum, & matrum, ac filiorum, quibus omnem reverentiam, non solum lex, sed etiam ipse præceperat exhiberi; tamen pro nomine suo, ac desiderio perfectionis non solum contemnenda simpliciter, sed etiam odio habenda esse decernens,) conjugat eis similiter etiam uxorum nomen, dicens: Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, &c. In tantum ergo perfectioni, quam prædicat, nihil patitur comparari, ut illam quoque necessitudinem solvat patris, ac matris, que secundum Apostolum ad Ephesios cap. 6. primum obtinet in repositione mandatum. Honora scilicet patrem, & matrem (secundum Mattheum, ubi supra) quod est mandatum primum in repositione, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram; eamque desuper pro suo amore præcipiat. Evidenter itaque sicut eos Evangelicus sermo condemnat, qui non interveniente adulterii crimine uxoria vincula dirumpunt, ita ob amorem Christi, & desiderium castitatis, his qui jugum carnale rejecerint, etiam centupla premia repromittit. Quapropter si fieri potest, ut ad hanc optatissimam mihi partem, acceptatamen ratione hæctaris, scilicet ut Domino servientes, penam gehennæ pariter evitemus, D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

charitatem conjugii non refuto, immò etiam majore adhuc dilectione complector: agnosco enim, & veneror adjutricem meam Domini mihi sententiã deputatam, & indicipto eidem fœdere charitatis in Christo coherere non respicio, nec a me separo, quod Dominus mihi prima statim conditionis lege conjunxit, dummodo sis & ipsa, quod conditor esse te voluit. Si verò non ad adjutorium esse volueris, sed in deceptionem, & adminiculum te non mihi, sed adversario malueris exhibere; atque ob hoc attributum putas conjugii sacramentum, ut te huic, que ingeritur, fraudans saluti, insuper etiam me à discipulatu retrahas Salvatoris: ita illam Abbatis Joannis, immò Christi ore prolatam sententiam viriliter apprehendam, ut me à spirituali bono nullã carnalis avellere possit affectio. Qui enim, inquit, non odit patrem, & matrem; &c. Luca cap. 14. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Cum ergo his, atque huiusmodi verbis mulieris non flecteretur intentio, & in eadem obstinationis duritia permaneret: Si ego (inquit B. Theonas) te abstrahere à morte non possum; nec tu me separabis à Christo. Tutius est autem mihi cum homine, quam cum Deo habere divortium. Aspirante itaque gratia Dei, diffinitionis suæ executionem instanter aggressus est; nec in tepefere per aliquam moram desiderii sui pallus est ardorem: nam confestim omni mundanã facultate nudatus, ad monasterium pervolavit; ubi in brevi tanto splendore sanctitatis, & humilitatis enituit, ut beatæ memoriæ Joanne ad Dominum ex hac luce migrante, sanctoque Helia viro, qui hæud minor decessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas univerforum præelectus judicio in Diaconia, eis dispensatione successerit.] Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam vir caput est uxoris, ita ut omni jure, divino, civili, & ecclesiastico illi subdita sit, ut docet D. Augustinus in cap. est 33. quest. 5. ibi: *Est ordo maritalis in hominibus, ut serviant fœminæ viris, sili parentibus.* Et cap. hoc imago, 33. quest. 5. & l. nulla, de suis & legit. l. 4. §. mulieris, ff. de usu & habu. Unde fœminæ viros Dominos vocant, l. Lucius 88. §. 2. ff. de legat. 2. latè illustrant Pineda de rebus Salomonis, cap. 3. §. 9. Robertus lib. 1. rerum judic. capite 10. Schotus ad Senecam lib. 1. contror. 6. Cujacius in l. in multis, ff. de stat. homin. Marquez in gubern. cap. 31. §. 4. Tiraquellus in l. 5. conub. Mexia de vera gloria, lib. 2. cap. 1. Simanchas lib. 1. de Republica, cap. 1. Carballo in cap. Reynutius, num. 234. Gentilis de bonis maternis, cap. 1. Junius politicar. quest. 13. Hunnius ad Treutlerum, volum. 1. thesi 4. disput. 2. Giurba Mellan. cap. 3. Antonius Hothomans de ritu nupt. cap. 23. Laelius Mancinus lib. 1. de triplici juris collat. cap. 9. Ergo sicut absurdum est, dominum, aut patrem servi, seu filii voluntatem exquirere ad ingressum religionis, ita & maritum consensum uxoris petere, ut convertatur ad religionem.

Quã difficultate non obitante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum Traditur ratio decidendi. est, conjuges posse vovere castitatem matrimonio adhuc rato, vel consummato. De voto matrimonio rato emissio agemus infra in cap. 2. De voto

voto emisso matrimonio jam consummato agit in presenti Alex. III. & itauit, nisi consentiente uxore, & religionem similiter profitente, non posse virum religionem ingredi. Cujus constitutionis ratio provenit ex reciproca potestate, quam conjux habet in alterum conjugem: quare altero renuente, non potest statum mutare, privando conjugem jure quasiro; nam, ut ait D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir corporis sui potestatem non habet, sed mulier: nolite ergo fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi.* Ubi D. Chrysothomus tom. 4. homil. hac subjungit: *Quid hoc est? ne contineat, inquit, mulier invito marito, nec maritus nolente uxore. Et recte dixit (subjungit paucis interpositis) nolite fraudare: fraudationem hic, & debitum superius appellans, ut dominus ostenderet incrementum; altero enim invito continere, est alterum privare; volente autem, minime; non enim si me persuasit ex meis aliquid acciperis, dico me fraudari, aut privari: postquam enim copulatione conjugii, viri, ac mulieris unum corpus efficitur; ut ad primos mundi specios dixit Dominus Genesis cap. 2. vers. 24. in conjugio renuente castitatem profiteri remanet media pars eam profitentis; cuius individua societatis consideratio movit sanctum Gregorium, ut cuidam Agathose suum maritum jam monachum tonsuratum reddi preciperet, dummodo absque eius culpa, aut consensu ab ea recesserit, ut religionem profiteretur; nam non potest, inquit Sanctus, quispiam conjugium ex parte ad Religionem converti, & ex parte in seculo remanere. Facit D. Hieronymus, seu mavis cum aliis, Paulinus Nolanus Episcopus ad Celantiam matronam de institutione matrisfamilias, ibi: *Periculose promittitur, quod adhuc in alterius potestate est, nec est grata donatio, si unus offerat rem duorum; aliis enim facile daretur occasio conjugii remanenti in seculo adulterium perpetrandi.* D. Augustinus ad Edictum epist. 199. ibi: *Nam si vir continere voluisset, & tu noluisses, tibi reddere debitum cogeretur; & illi Deus imputaret ad continentiam, si non sua, sed tua cederet infirmitati.* Et cap. secundum, 33. 95. Recte ergo docetur in presenti uxore non consentiente, non posse virum religionem profiteri; & si de facto ingrediatur, adeo professionem nullam esse, ut ipse discedere possit, & mortuam uxore aliud inire conjugium, cap. quidam, cap. placet, cap. accedens, hoc tit. ubi dicemus. Ex his etiam provenit, ne penitentiam solennem, quia in ea castitas vovebatur, & quomodo status religiosus pro eo tempore profitebatur, nisi ex consensu conjugis conjugii olim non fuisse impositam, ut probavi in can. Concil. Illiber.*

5.
Quid si
consentiat
conjugi.

Consentiente autem conjugio alius potest castitatem promittere, religionemque profiteri, ut probatur ex juribus supra pro illustratione conclusionis adductis, & ex D. Basilio in qq. fuse explicatis, quest. 12. ibi: *Eos, qui in conjugio matrimonii ad talem vitam accedunt, periculari oportet, an ex consensu hoc faciant.* D. Gregorius lib. 9. epist. 39. ad Theodis. Patriciam, ibi: *Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare, quando certum est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit. Quod etiam firmatur exemplis, & ratione. Exemplis eorum, quos recte fecisse, eo*

quod ex consensu continentiam voverint, nullo modo negari potest, cum miraculis claruerint, & ut Sancti ab Ecclesia venerentur. Primum exemplum est Deipara Virginis Mariae, & sancti Sponsi ejus Joseph, inter quos verum conjugium intercessisse, constat ex Evangelio D. Matthaei cap. 1. ibi: *Joseph filii David, nolite timere accipere Mariam conjugem tuam. Et ibi: Joseph vir ejus. Late probabimus in cap. super, de condit. appof. & tamen ex mutuo consensu perpetuo continentiam servarunt. Unde B. Augustinus de consensu Evangelist. cap. 1. ait: *Hoc exemplo magnifice insinuat fidelibus conjugatis, etiam servata pars consensu continentiam posse permanere conjugium, non mixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Aliud exemplum Amonis monachi, qui cum uxore virgine ex consensu semper virgo permansit, refert Palladius in histor. Lausica, cap. 8. Idem de sanctis Paulino, & Therasio refert D. Augustinus epist. 32. etiam sanctus Maturnianus, & sancta Maxima similiter vitam egerunt, teste Victore Uticensi lib. 1. de persecut. Vandal. Sanctus Eduardus Rex Angliae, qui ob perpetuam castitatem cum conjugio servatam post centum à morte annis inventus fuit integer, adeo ut nec barba in sepulchro decidisset, referente Surio tom. 2. Martyrologii. Alphonius II. Rex noster Legionis ob eandem continentiam dictus cognomento el Casto. Volaterranus lib. 2. Antropolog. Sanctus Henricus I. Imperator, & sancta Cunegundis, de quibus Krantzius lib. 3. Saxonia, pag. 32. Boleslaus cognomento Pudicus, teste Volaterrano lib. 4. Sancta Vertilla virgo, ut ex Blondo probat Gibalinus de clausur. disquisit. 3. cap. 4. numero 8. Sancta Anastasia virgo Romana apud piissimum, & doctissimum Aloyium de Granada in Symbolo fidei, 2. p. cap. 20. pag. 213. Quae exempla adversus spurcos haereticos nostri seculi attulit doctissimus Bellarminus tom. 1. controver. lib. 2. de monachis, cap. 37. quem transcripti Laurentius Beyerlinch. in Theatro vite humanae, verbo Matrimonium, pag. 323. Aliaque exempla congregaverunt Rosveidus in Ornomast. verbo Continentia, Raderus 1. p. Virid. 17. Novemb. Bozius lib. 11. de signis eccles. cap. 6. Spinellus tract. de virg. Ludovicus Vives in inst. christ. mulier. cap. 5. Theophilus tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 7. Espenceus lib. 1. de contin. cap. 11. & lib. 6. capite 3. Ratione etiam firmatur haec assertio; nam divortium bonae gratiae, prout ajunt Consulti in l. & ideo 62. ff. de donat. inter, l. sed si maritus 14. §. sed & ff. qui est à quibus. l. nunc. §. perult. Cod. de rei uxor. action. vel amica separatione ut loquitur Tertul. de monogam. id est, cum communi consensu solvitur matrimonium, interprete Anastasio in l. si constante 9. Cod. de repudiis, fiebat variis ex causis, quas refert Justinianus in Novel. 22. cap. 4. Novel. 140. cap. 1. inter eas enumeratur sacerdotium, ita ut sacerdotii causa, ut maritus possit Deo sacrificium offerre, divortium bonae gratiae admittebatur, l. virtricus 60. §. 1. cum sequent. ff. de donat. inter, ibi: *Divortii causa donationes inter virum, & uxorem concessa sunt; saepe enim evenit, ut propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem, vel senectutem, aut valetudinem, aut militiam satis commode retineri matrimonium non possit; & ideo bonae gratiae matrimonium dissolvitur.* Quae verba de sacerdotio Gentilium, apud quos sacerdotes ceteris dimissis uxoris caelibem vitam agebant, teste*

teste Tertul. *lib. de monog.* accipiunt Cujacius. & Gothofredus in *novel. 22. cap. 5.* Reuarius *lib. 1. coniect. cap. 2.* Pancirolo *lib. 2. var. cap. 52.* Sed eos refellit. D. Nicolaus de Castro in §. 1. *Instit. de emptione, & vendit. num. 68.* ex eo, quia generalia illa verba non debet restringi ad unum, vel aliud sacerdotium; quare ipse existimat, Tribonianum verba illa, *Uti propter sacerdotium*, apposuisse dum respiceret ad dictam Novellam 22. Justin. *cap. 4.* & ut Hermogenianum consonum Justiniano redderet, ea verba adiecisse. Sed his sententiis omissis verius dicendum est, textum illum referendum esse ad sacerdotium Christianorum, & legis gratia; nam cum Hermogenianus floruisse temporibus Alexandri Severi, essetque Christianus, ut in ejus vita refert Joannes Bardandus de *Jurisprerius fol. 130.* dixit, propter sacerdotium divortium fieri posse bonam gratiam, id dissolvi matrimonium quoad thorum, & cohabitationem: quod genus divortii jure civili admissum, & male productum etiam ad dissolutionem matrimonii quoad vinculum, *l. 52. §. final. C. de Episcop. & cleric. Novel. 22. cap. 5. 17. cap. 12. 123. cap. 40.* usitatum sequentibus seculis fuisse, conitatur ex veteri formula Marculli *lib. 2. cap. 30.* Ultra consensum conjugis desideratur etiam pro distinctione aetatis, ut si juvenis est, in quo suspicio incontinentiae dari potest, etiam religionem ingrediatur, *cap. Agatho- sa 27. q. 2. qui uxorem 33. q. 5. cap. cum hi, cap. uxoratus. hoc tit. amplius & licentia Episcopi desideratur, cap. si vir 27. q. 1.* non quia alias nulla reddatur professio, sed quia illicita erit, non petita licentia ab Episcopo ut late docet varios casus resolvens Thomas Hurtado de *resid. dicto lib. 3. resol. 1. per tot.* Si autem senex est, id est ejus aetatis, in qua nulla suspicio incontinentiae addit, votum castitatis emittere debet, ut in hoc textu docetur ibi: *Aut perpetua castitatis votum emiserit, cap. cum sic, cap. uxoratus, hoc tit.* Sed si uxor adulterium commiserit propria auctoritate, potest vir religionem ingredi, ut probat Aratio in *decis. moral. tract. 3. quest. 26.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta ex facto Abbatis Theonae, qui post lapsum quinquentennii tempus, quo cum sua conjugate in matrimonio vixerat, ad monasterium, reclamante uxore confugit. Nam supponimus in eo peculiarem aliquam divinam inspirationem intervenisse, vel impellentem ipsam ad id faciendum,

vel actum ipsum comprobantem; idque praeter ordinem, & legem, ut haberemus quod miramur, non quod imitemur. Nec fundamenta quae adducit Theonae aliquid faciunt. Non quod de libello repudii expendit; nam potius verum est, Dominum nunquam permisisse uxorem dimittere, & aliam ducere, ut late probavi in *cap. Concilii Uliber.* Minus obstant verba illa, quibus Dominus patrem, matrem, uxorem, aut filios, aut agros relinquentibus centuplum promittit in hoc seculo, & in altero vitam aeternam, quae non ita sunt accipienda, inquit Chrysostomus *epist. 89. q. 4.* hunc locum enarrans, ut per eas nuptiae intelligantur divellenda, aut dirimenda, nisi forte cum utriusque conjugis consensu: & B. Augustinus, *In his, quae Dominus dimittere mandavit, etiam uxor commemorata est, inquit: quid sibi ergo volunt ista praecipere, non enim possunt inter se esse contraria, nisi quia occurrit aliquando necessitatis articulus, ubi aut uxor dimittur, aut Christus: ut alia omittam, si ipsi uxori maritus displicerit Christianus, eique proposuerit, aut a se divortium, aut a Christo. Hic ille quid eligat, nisi Christum, ut dimittat uxorem laudabiliter propter Christum? Ambobus quoque Christianis Dominus praecepit, ne quisquam uxorem dimittat, excepta causa fornicationis; ubi autem qualibet ex eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur, ut si fidelis consentit habitare cum viro infideli, vir non dimittat uxorem: similiter uxor fidelis virum, si cum illo habitare consenserit. Quod si infidelis, inquit, discedat, discedat: non esset servitus subjectus frater, aut soror in huiusmodi; id est, si infidelis voluerit esse cum conjugate fidei, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subiectum deputet servituti, ut ipsum dimittat fidelem, ne conjugem amittat infidelem. Hoc & de filiis, atque parentibus; hoc de fratribus & sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos cum proponitur ista conditio, ut Christum demittat, si illos secum esse desiderat. Haec eo loco August. In quibus verbis dilucide exponit, quomodo intelligi debent illae scripturae, quibus admonemur, ut parentes, fratres, cognatos, uxores, insuper & animam nostram odio prosequamur. Nec obstat difficultatis augmentum; nam licet caput uxoris sit vir, in conjugio tamen quoad potestatem corporis aequalis est conditio, nec vir corporis sui potestatem habet, sed uxor; ideo sine ejus consensu eam privare jure quæsito non valet.*

CAPUT II.

Idem (a) Salernit. Episcopo.

Verum post consensum legitimum de praesenti licitum est alteri, altero ita repugnante, eligere monasterium, sicut quidam etiam (b) Sancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodo inter eos carnalis commixtio non intervenerit: & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum esse videtur, ut ad secunda vota possit transire, quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in seculo remanere.

NOTÆ.

1. (a) *S. Alermitano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & adjicitur, *pars capituli licet*: unde cognoscitur in præfenti referri partem textus in cap. licet 3. de sponsa duor. ubi extat integra constitutio, & refertur post Concilium Lateran. p. 56. cap. 1. De Salernitana diocesi egi in cap. 1. de offic. judic.
2. (b) *Licet sancti.*] Veluti sancta Thecla, quam ante matrimonii consummationem S. Paulus à nuptiis revocavit, ut referunt D. Ambrosius lib. 2. de virginibus, Epiphanius hæresi 78. Similiter S. Alexius prima nocte nuptiarum uxorem intactam relinquens peregrè profectus est, perpetuoque castam vitam duxit, ut tradit Simeon Metaphrast. in ejus vita; qui idem refert de sanctis Euphrasia, & Carcilia: & D. Augustinus lib. 8. confess. cap. 6. scribit, duos milites lectâ D. Antonii vitâ, relictiis sponsis vitam monasticam professos fuisse: & D. Gregorius dialog. 3. cap. 14. refert Gregoriam virginem nuptiis jam constitutis ad monasterium Monialium confugisse Quæ & alia exempla referunt Bellarminus tom. 1. lib. 2. de monach. cap. 38. Espenceus lib. 6. de voto contin. cap. 4.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio referatur et probatur.*
EX hoc textu talis communiter deducitur assertio: *Matrimonio contracto, sed nondum consummato, potest alter conjugum etiam alio invito religionem ingredi, & remanens in seculo potest ad secundas nuptias transire.* Probant eam textus in cap. de sponsatus, cap. scripsit, §. ecce 27. q. 2. cap. ex parte 14. cap. ex publico; hoc tit. cap. commissum, de spons. extravag. antiquæ, de voto, Trident. sess. 24. can. 6. Illustrant ultra congeitos à Garaña & Barbosa in præfenti, idem Barbosa lib. 1. de jur. ecclæs. cap. 42. num. 10. Petrus Gregorius lib. 3. partit. tit. 21. cap. 6. Espenceus lib. 6. de voto contin. cap. 4. Bellarminus de monachis lib. 2. cap. 38. per totum. Tondutus resol. canonic. cap. 116. Hurtado de resid. tom. 2. lib. 3. resol. 3.

4. *Impugnatur præfens assertio.*
 Sed pro dubitandi ratione ita in præfentem assertionem insurgo: Matrimonium consummatum per professionem regularem non dissolvitur, ut superiori commentario probavi, quia auctoritate humanâ non possunt separari, quos Deus conjunxit, juxta Evangelium D. Matthæi cap. 19. quod refertur in cap. quos Deus 33. q. 2. cap. 2. de translat. Episc. Sed eadem ratio militat in matrimonio rato non consummato, quod verum sacramentum est novæ legis, cap. debitum, de bigamis, cap. ad abolendam, de hæretic. Trident. sess. 24. de matrim. cap. 1. matrimonium enim ratum non differt à consummato ullâ substantiali differentiâ, quia copula carnalis actus quidam est conjugii, non ejus essentia. Igitur sicut matrimonium consummatum non potest dissolvi quoad vinculum per professionem regularem, ita nec ratum. Augetur primò hæc difficultas ex eo; nam per contractum matrimonii quilibet conjugum acquirit potestatem in alium ad usus conjugii, juxta illud Pauli 1. ad Corinthios cap. 7. *Vir non habet potestatem sui corporis*: quod refertur in cap. 3. hoc tit. cap. non debet, de consanguin. & affin. sed sic est, quod qui non habet potestatem sui corporis, non possunt ad Religionem

converti, cap. manifestum 33. q. 5. ergo matrimonio rato, licet nondum consummato, non licet uni ex conjugibus altero invito ad Religionem transire. Augetur secundo, hæc difficultas, nam votum castitatis æquè solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, ac per professionem regularem, ut probatur in cap. unic. de voto, in 6. sed per susceptionem sacri Ordinis non dissolvitur matrimonium ratum, & non consummatum, extravag. antiquæ, Joannis XXII. de voto: ergo nec per professionem regularem dissolvitur. Tandem fulcitur hæc difficultas, nam regula juris est, quod semel placuit, amplius displicere non posse, cap. quod semel, de regul. jur. lib. 6. l. sicut, C. de obl. & act. quod nemo potest mutare consilium in alterius præjudicium, cap. mutare, de reg. jur. lib. 6. l. nemo potest ff. eod. tit. ergo matrimonio ritè celebrato, non licet uni ex conjugibus altero invito mutare consilium, & religionem profiteri.

Quâ difficultate ita fulcitur non obstante, vera est præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, matrimonium triplici modo posse considerari; aliud enim est matrimonium legitimum, quod legitimo tempore constat consensu, quale esse potest apud infideles, ut probavi in cap. final. de transact. aliud verò est ratum, sed non consummatum; tale est matrimonium fidelium per verba de præfenti celebratum copulâ non secutâ; tandem consummatum dicitur post copulam secutam. Referunt hanc distinctionem Gratianus ad cap. final. 28. q. 1. Covar. 2. p. de spons. cap. 1. §. unic. num. 4. Circa matrimonium tantum legitimum, & ratum, illud tantum notandum est, quod vinculum matrimonii rati est longè firmitus, quàm matrimonii legitimi; quia constat duplici vinculo: alio naturali, quod respicit ipsam contractus naturam, & sic obligat conjuges ad individuam vitam, ut docetur in princip. Insti. de patria potest. altero sacramentali, quod surgit ex matrimonio, in quantum est signum rei sacræ, & unionis Christi cum Ecclesia; & hoc respectu strictius obligat. Abbas in præfenti, & in cap. ex publico, hoc tit. Cajetanus opusc. 27. q. 25. vers. Quoad primum. Contra verò matrimonium legitimum habet solum vinculum naturale, quia deficit in eo ratio sacramenti, licet latè sacramentum appelletur in dicto cap. final. de transact. cap. gaudemus, de divorc. Et licet prædictum sacramenti vinculum detur tam in matrimonio rato, quàm in consummato, diversimodè tamen in uno, atque alio viget. In priori enim dissolubile est, in secundo verò indissolubile pro tota conjugum vita. Cujus differentia ratio provenit ex eo, nam cum hoc sacramenti vinculum non aliunde confurgat, quàm ex divina institutione, quâ matrimonium fuit institutum, velut signum unionis Christi cum Ecclesia, juxta illud Pauli ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia*: & matrimonium ratum solum significet unionem cum anima fideli per charitatem, cap. debitum, de bigamis; rectè fit, ut sicut unio hæc est dissolubilis per peccatum lethale, ita sacramenti vinculum in tali matrimonio sit omnio dissolubile: secus autem in matrimonio consummato, quod sicut propter corporis commixtionem designat illam mirabilem, & indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, per carnis assumptionem, juxta illud Joannis: *Verbum caro factum est*

est, quod refertur in dict. capite debitum: ita planè vinculum sacramenti in eodem matrimonio manet omnino indissolubile; æquum enim erat ut figura responderet figurato, & docet hoc auctoritas illa Christi Domini, quos Deus coniunxit, &c. quæ verba non sunt intelligenda de matrimonio rato, sed solummodò de consummato: tum quia id facile deducitur ex illis verbis: *Erunt duo in carne una*. Tum quia Summus Pontifex ita locum illum explicavit in cap. ex publico, in finem, hoc tit. cuiusmodi fides est adhibenda, cap. quam vetus 24. quæst. 1. et si nimis audenter Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 4. notaverit Pontificem, eo quod prædicta verba Christi Domini tantum de matrimonio consummato acceperit.

6. Quibus præmissis asserendum est contra Magdeburgenses, Kemnitium, & Erasimum, qui tenuerunt matrimonium ratum non posse dissolvi per professionem regularem, quos refellit Bellarminus tom. 1. controver. lib. 2. de monach. cap. 38. *dist. per rot.* matrimonium ratum dissolvi etiam quoad vinculum per ingressum religionis, non ex ea ratione, quam aliqui adduxerunt, videlicet, matrimonium tantum consummatum absolutè dici matrimonium, ex cap. non est dubium, cum sequent. 27. q. 2. & ita illud solum esse indissolubile lege divina; nam licet matrimonium ratum non dicatur perfectum perfectione accidentali, quæ consistit in eius usu ad ipsius finem, hoc est ad prolem suscipiendam, dict. cap. non est dubium, qui textus ita est intelligendus; tamen est perfectum perfectione essentiali, l. nuptias, ff. de reg. jur. cap. cum locum, cap. cum apud, hoc tit. Proinde est indissolubile lege divina, ut docent Theologi in 4. dist. 26. Nec obstat textus in cap. cum Societas 27. quæst. 2. ubi docet Leo Papa, societatem nuptiarum ita à principio esse institutam, ut propter commixtionem sexuum non habeant in se conjunctionis Christi, & Ecclesiæ sacramentum. Nam omnis sententiâ Concij, qui expungit negationem, quem sequitur Covar. de sponsal. 2. cap. 7. §. 4. Gutierrez lib. 1. canonic. cap. 17. num. 23. dicendum est cum Germanio lib. 2. animad. cap. 3. illa verba esse referenda ad significationem unionis hypostatice Christi cum Ecclesiâ, ut sensus sit, quod sine commixtione sexuum matrimonium non habet in se representationem unionis Christi cum Ecclesiâ; non tamen exinde deducitur, verum sacramentum non esse, ut Innocentius III. docuit in dicto cap. debitum, de bigamis. Quod jus ita dissolvendi matrimonium non solum ab ecclesiastica institutione provenire, verum & divina auctoritatenti, quâ privilegium hoc consensum est statui religioso, constat ex dict. cap. ex parte, hoc tit. extravag. Antiquæ, de voto: unde plures divinâ revelatione hoc iure usos fuisse, ex variis historiis referunt Espenceus lib. 6. de voto contin. cap. 1. Bellarminus lib. 2. de monachis, cap. 38. De sancta Thecla Epiphanius heres. 80. de S. Alexio Metaphraistes in eius vita: de Gregoria Virgine D. Gregorius libro 3. dial. capite 14. Requiritur tamen, ut matrimonium ratum dissolvatur per ingressum religionis, quod alter ex conjugibus proficatur religionem approbatam, ut probat Basilus libro 9. de matrim. cap. 6. per totum, qui cap. sequenti agit de religiosis Ordinum Militarium, & distinguit inter Equites Melitenenses Ordinis S. Joannis Hierosolym. &

alios diversorum Ordinum; ita ut per professionem emissam ab Equitibus Hierosolym. matrimonium dissolvatur, secus verò per professionem emissam in aliis Ordinibus Militaribus, quia in eis professionem emittentes, non absolutam, sed conjugalem castitatem promittunt, quæ rectè stare potest cum matrimonio. Dissolvitur etiam matrimonium ratum per vota, quæ emittunt Tertiarie S. Francisci collegialiter viventes; secus verò si in propriis domibus degant, ut probant Sanchez de matrim. libro 2. disput. 8. Basilus cod. tract. libro 9. cap. 6. non autem dissolvitur matrimonium ratum per vota simplicia castitatis, etiam quæ emittuntur à Patribus Societatis Jesu post biennium novitatus. Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 8. Suarez tom. 4. de relig. lib. 4. cap. 2. Ratio est, quia hæc vota simplicia in Societate emissâ constituunt quidem statum religiosum, & personas ita voventes inhabiles reddunt ad sic contrahendum, ut probabimus in tit. qui clerici vel vov. non autem inducunt professionem solennem, neque ab aliquo Pontificio decreto habent potestatem derimendi matrimonium ratum, ut contingit in ordine sacro, qui non dirimit vinculum contracti matrimonii, sed contrahendi. Circa tempus verò, intra quod conjuges facultatem habent ingrediendi religionem invitatis conjugibus, extat expressa decisio textus in cap. ex publico, hoc tit. ubi asseritur intra duorum mensium spatium licere conjugi ad religionem transire; quod bimestre computari debet à die contracti matrimonii, non à die solennis benedictionis nuptialis; & currit de momento ad momentum. Basilus dict. libro 9. de matrim. cap. 9. Nec si alter ex conjugibus ingrediatur religionem, non potest in seculo manens statim ad aliud matrimonium transire; sed expectare debet annum probationis à Tridentino præscriptum sess. 25. de regul. cap. 25. ut professio emittatur: & quia ex decreto ipsius Concilii nemo potest ante decimum sextum annum professionem facere, si conjux in anno pubertatis Religionem ingrediatur, debet alter expectare tempus illud, ut professio fieri possit. Henriquez libro 12. summa, cap. 5. num. 11. & si pendente biennio, etiam per vim matrimonium fuerit consummatum, jam non potest dissolvi per ingressum religionis. Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 22. Et quia de matrimonio rato dissolvendo agimus, non omitterem, etiam illud dissolvi posse per summum Pontificem. Ratio est, quia Summus Pontifex habet potestatem ad ea omnia, quæ necessaria sunt ad conveniens regimen Ecclesiæ: sed dissolutio matrimonii rati sæpe expediens est: ergo competit ea facultas Pontifici. Probant rationibus, & exemplis Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 14. Lessius lib. 2. de justit. cap. 40. dub. 19. Diana part. 8. tract. 1. resol. 62. Egidius Coninch 3. part. dist. 26. dub. 3. Rebellus lib. 1. de justit. 2. part. quæst. 15. sect. 3. Suarez de relig. tract. 7. lib. 6. cap. 17. num. 21. Vazquez 1. 2. quæst. 165. cap. 7.

7. Unde jam apparet ratio præsentis asseritionis, quæ ex eo provenit, quia in matrimonio duo desiderantur, videlicet conjunctio animorum, quæ charitas significatur, & quæ consistit inter Deum, & animam justam; & conjunctio corporum, quæ significat unionem Christi cum Ecclesiâ per assumptionem humanitatis, dict. cap. debitum, de bigamis. Unde cum animorum conjun-

ctio spiritualis fit, commixtio autem corporum conjunctio corporalis, juxta textum in *cap. omne* 27. q. 2. sequitur, ut sicut conjunctio corporalis, id est commixtio, quæ fit per copulam matrimoniam, morte corporali tantum dirimitur *c. licet* 32. *quest.* 7. docent Theologi in 4. *dist.* 27. *artic.* 5. Victoria in *summa*, tit. de *matrim.* q. 304. Covar. 2. *part. de sponsal.* cap. 7. §. 4. *num.* 8. ita etiam conjunctio animorum dissolvitur morte spirituali, per professionem regularem, quæ censetur mors spiritualis, *cap. placuit* 1. 16. *quasi.* 1. docet D. Thomas in 4. *dist.* 27. *quasi.* 1. in *respons.* ad 1. *quest.* & in *respons.* ad 3. Accedit, quia omnis obligatio potest commutari in bonum evidenter melius, si non sequatur tertii præjudicium confiderabile, *cap. pervenit* 3. de *jur. jur.* *cap. scriptum*, de *voto*. Constat autem, statum religiosum evidenter meliorem esse matrimonio. Insuper non sequitur tertii præjudicium, cum persona conjugis illa maneat, & cum facultate contrahendi aliud matrimonium: igitur licebit utique conjugii, vel alteri ex eis, alio etiam invito, ad religionem transire: nec tunc dissolvitur vinculum matrimonii, tam humana, quam divina auctoritate, ut docetur in *cap. scriptum* 27. *quasi.* 2. *cap. ex parte* 14. *hoc titul.* & defendunt Covar. 2. *part. de sponsal.* cap. 7. §. 4. *num.* 6. Gutierrez libro 1. *canonic.* capite 17. *num.* 26. Matienzo in *rubric.* titul. 1. libro 5. *recopil. gloss.* *num.* 69.

8. Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, quam adeo difficile agnoverunt Sotus in 4. *distinct.* 8. Joann. Major ibi *distinct.* 27. Espenceus lib. 6. *dubitan-* *dirario.* de *contin.* cap. 4. ut docerunt, non posse congruam assignari, cur professione religionis dissolvatur matrimonium ratum, non verò consummatum. Vera ratio differentie provenit ex eo, quia in matrimonio consummato datur obligatio perpetuo cohabitandi, & etiam intervenit reciproca traditio, per quam uterque conjux tradit alteri possessionem sui corporis ad usum conjugii, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth.* cap. 7. relatus in *cap. quidam*, *hoc tit.* Unde cum corpus viri jam non sit in ejus potestate, quoad matrimonii finem, & econtra; & non possit Deo offerri in religionem per votum corpus, quod non est proprium offerentis, quia non est grata Deo oblatio rei alienæ, *cap. non est putanda* 1. *quest.* 1. *cap. ex transmissa*, de *decimis*, Sotus lib. 9. de *justit.* *quest.* 3. *artic.* 3. sequitur, matrimonio consummato non posse conjugem alio invito ad Religionem transire. In matrimonio verò rato licet adsit quaedam virtualis promissio, per quam conjuges acquirunt quoddam jus ad petendam possessionem alterius corporis ad finem matrimonii, nondum tamen habet ipsam possessionem, & ideo quilibet ex eis potest se Deo per statum religionis tradere, quia dominium sui corporis habet, argumento textus in 1. *qui tibi*, de *his, qui a non dominis*. Quæ ratio expressè deducitur ex præfenti textu, ibi: *Cum nondum sint effecti una caro*; id est, non sit adhuc translata vera, & realis possessio: docent Theologi cum D. Thoma in 4. *dist.* 38. *quest.* 1. *artic.* 3. Fortunius Garcia in *cap. 1. num.* 8. de *pactis*. Et probatur hæc differentie ratio exemplo venditionis; nam sicut venditio, in qua nulla traditio intercessit, solvitur per secundam, in qua traditio sequuta fuit, *l. quotiens*, *C. de rei vindic.* ita etiam matrimonium ratum, in quo non est sequuta tradi-

tio, dirimitur per traditionem factam Deo in religionem. Nec obstat textus in *cap. final. de sponsal. duor.* ubi docetur, quod contrahens de facto in matrimonium cum secunda, superflite prima conjugæ, cum qua non fuerat matrimonium consummatum, licet cum secunda sequatur copula, non ideo solvitur primum matrimonium. Nam respondetur, secundam illam traditionem fuisse illicitam, & injustam; quia facta talis fuerat ab eo, qui non poterat alteri mulieri ad finem matrimonii se tradere, *cap. gaudemus*, de *divortis*. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ab exemplo ejus, qui suscepit sacros ordines matrimonio adhuc rato; quo casu certum est, matrimonium non dissolvi, sicut per ingressum Religionis; quia hoc privilegium, ut videlicet dirimatur matrimonium, non est concessum æqualiter suscipienti sacros ordines, ac profitenti vitam religiosam: forsitan ex eo, quia religiosi per solennem professionem seculo mortali censentur, *cap. placuit*, in *fine*, 26. *quasi.* 1. nullumque habent velle, aut nolle, cum iuxta superioris arbitrium ita vivere debeant, ac si propria voluntate carerent, *cap. quorundam*, *cap. religiosus*, de *elect.* in 6. Insuper semetiplos velut holocaustum offerentes, in totum divino obsequio mancipantur, hujus seculi actibus, & exterioribus bonis renunciantes, *cap. cum ad monasterium*, de *stat. monach.* At verò clerici, quantumcumque in factis Ordinibus sint constituti, remanent adhuc libere, habentque velle, & nolle, & suorum bonorum dominium retinent, mundoque mortui non sunt; unde cum, ut supra dixi, per mortem spiritualem dissolvatur vinculum matrimonii rati, quod tantum spirituale est; & hæc mors spiritualis non contingat suscipientibus sacros ordines; ideo per susceptionem facti ordinis non dirimitur matrimonium ratum, sicut per professionem religionis, ut docerunt Glossa 2. in *fine in d. c. unic. de voto*, in 6. Durandus in 4. *dist.* 27. *quasi.* 2. *col. 3.* Sotus eadem *dist.* 27. *artic.* 4. Quod etiam procedit in promotione ad Episcopatum, licet perfectior sit status Episcopi, quam monachi, *cap. nisi cum pridem*, de *renunc.* Nec tunc obstat textus in *cap. per tuus*, de *voto*: cuius solutionem tradit Garanna in *presenti*, *num.* 9. Nec obstat ultimum augmentum deductum ex *dict. regul. quod semel*; nam textus ille procedit quoties quis temere vult recedere, & mutare consilium sine causa, & in alterius præjudicium: at verò conjux, qui relicto alio conjugæ religionem proficitur, ex justa causa, zelo videlicet sanctioris vite id facit, & sine alterius præjudicio; siquidem potest conjux aliud matrimonium intrare.

Sed supra traditis opponi videtur Alexander III. relatus post Concil. Arelat. p. 8. *cas.* 17. in illis *Expon.* verbis: *Sanè quamquam muliere non desponsata, & 17. ap. à viro non cognitâ liceat ad religionem transire, aliam post. raven vir ducere in uxorem non potest.* Ex *qui- cens. Lat. 1.* bus verbis expressè deducitur, matrimonium ratum, etiam per professionem in religione emissam non dissolvi; siquidem non licet remanenti in seculo aliud matrimonium intrare. Verum respondendum est, ea verba accipienda esse juxta principium ipsius textus. Agebat enim ibi Alexander de viro, qui contracto matrimonio rato secundas nuptias contraxit, nullâ professione emissâ in religione ab alio conjugæ; quo casu rectè ait Alexander, quod licet matrimonio ad-

hic rati manente, liceat conjugibus ad Religionem transire; non tamen licet illis secundas nuptias contrahere, quia matrimonii vinculum adest interim dum alter ex conjugibus religionem non proficitur; & licet favore religionis permittatur conjugi invito alio ad vitam religiosam transire, non tamen illi licet aliud matrimonium inire.

10. *Intelligitur in cap. commissum, de spons. ubi cum proponeretur Alexandro III. quod quidem fide data, & juramento firmata promissit, se quandam mulierem in uxorem ducturum, posteaque statuit religionem ingredi; docet Pontifex, quod ille debet fidem matrimonii adimplere, & postea si voluerit, ingredi. Ex quo textu constat, votum solenne religionis non irritate sponsalia de futuro contracta: ergo multo minus dirimet matrimo-*

nium ratum. Pro cuius textus expositione Innocent. Felinus, & Panormit. ibi docent, textum illum procedere cum iuramentum præstitum est in gratiam alterius; quo casu commutatio non admittitur etiam in melius, nisi parte, cui iuramentum est, satisfacta. Sylvester *in summa verbo, Matrimonium 7. quest. 5.* Covar. *de spons. 1. p. cap. 5. in princ. num. 11.* quos sequitur Garanna *in cap. 1. hoc tit. num. 7.* docent verbum illud, *tutus*, esse accipiendum de consilio, non verò de præcepto. Sed eos refellit Balboa, *in c. 3. de iurejur. 69.* & cum eodem Covar. & aliis rectè docet, in ea specie sponsalium votum, non professionem emisisse, & tantum deliberasse de ingressu religionis; unde cum obligatio sponsalium adimpleri possit, & postea professio emitti, rectè ait Pontifex, *tutus* esse promissionem iuramento firmatam adimplere, & postea Religionem ingredi.

CAPUT III.

Idem (a) *Pisan. Archiepisc.*

Quidam intravit monasterium invitâ uxore: eadem ipsum (b) repetente, coactus est ad eam redire: eâ mortua quæris, an ipse cogatur ad monasterium redire, an aliam possit ducere uxorem? Quæstione tuâ taliter respondemus, quod votum non tenuit; unde ratione voti non tenetur ad monasterium redire. Ulterius verò non potest uxorem accipere; promissit enim, se non exigere, quod in potestate ejus erat; & ideo tenuit votum. Non reddere non erat in ejus potestate; sed in potestate mulieris. Unde (c) Apostolus: Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.

NOTÆ.

1. (a) *Pisano.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & post Concil. Lateran. *part. 5. cap. 2.* supplendaque est inscriptio, *Villano*, qui successit Balduino anno 145. & floruit usque ad annum 1156. ut refert Ughel. *tom. 3. Ital. sacra. fol. 560.* de Metropoli Pisana nonnulla adduxi in *cap. 8. de tempor. ordin.*
- (b) *Repetente.* Quâ actione repeti possit, exposui in *cap. 1. de ordin. cognit.*
- (c) *Apostolus.* 1. ad Corinth. *cap. 7.*

COMMENTARIUM.

1. **S**uprà in *cap. 1. hoc tit.* latè probavi, non posse conjugem matrimonio consummato, sine alterius conjugis consensu religionem ingredi; & professionem aliter emissam, nullam esse, posseque conjugem in seculo remanentem alium repetere. Unde in præsentis textu quaeritur, an votum illud religionis, quod inuicem fuit professione nullo factâ, effectum habeat, ut defunctâ uxore, quæ eum repetiit, teneatur ad religionem redire, ac castitatem servare, ita ut si secundum contrahat matrimonium, lethaliter peccet? Pro cuius dubii solutione, & præsentis textus expositione sequentes casus sunt distinguendi. Primus est, cum maritus, qui votum emisit, vel religionem professus est, invitâ uxore id fecit, quo casu mulier eum repetere potest, nec eâ defunctâ ad religionem redire tenetur, sed votum castitatis, quod in ipso ingressu emittitur, servare debet; & ita non potest aliud matrimonium contrahere, immo nec à prima uxore

re debitum perere; quia votum valuit; quatenus voventi præjudicare poterat, *c. placuit 12. hoc tit.* Et ita tenetur maritus castitatem servare, non autem paupertatem, & obedientiam, etiam soluto matrimonio, quia cum matrimonio constante talis obligatio nasci non possit, nec mortua uxore convalescere valuit: quæ est vera ratio hujus textus, ut post Panormitanum, & Butrium hic docuerunt Basilii *de matrim. lib. 10. cap. final. num. 6.* Garanna *in cap. 1. hoc tit. num. 11.* Secundus casus contingit cum maritus religionem professus est, non invitâ, sed ignorante uxore; quo casu idem dicendum est, ac in antecedenti, videlicet, professionem adeo nullam esse, ut nec defunctâ uxore teneatur vir ad religionem redire; quia tantum simplex castitatis votum emisisse creditur. Garanna *dict. num. 11.* Basilii *lib. 9. de matrim. cap. 11. num. 4.* Et hic casus deciditur in *dict. cap. placuit, hoc tit.* Et ita exaudienda sunt illa verba ipsius textus; *Redire verò ad seculum in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti.* Quorum verborum sensus est, quod propter maritum, qui ignarus fuerat professionis, mulier frustra religionem proficitur, quia cum una caro vir, & uxor fiat, non potest pars una ad Dominum converti, aliâ in seculo remanente. Nec professionis nullitas pendet à revocatione conjugis, quia ipso jure nullius momenti est, ut docuerunt in *dict. cap. placuit*, Panormitanus, & Butrius, & alii congesti à Thoma Sanchez *lib. 7. de matrim. disputat. 34. num. 14.* Nec contrarium probatur in illis verbis ipsius textus, *Et ideo quantum ad ipsam tenuit votum.* Non enim ibi docetur, votum solenne religionis valuisse. Quod contrarium docetur in *vers. Super quo*; sed tantum

tum dicitur, teneri uxorem voto castitatis simpliciter, quod impedit debitum petere constante matrimonio, & eo soluto novum inire, ut ibi docent Hostiensis, & Butrius *num. 1.* Immo & aliquando evenire potest, ut secundum matrimonium licite contrahere possit, videlicet si votum castitatis emittat dependenter à professione, & habità relatione ad ipsum statum religiosum, ut docet Sanchez *diēt. disput. 34. num. 3.* Nec etiam obstant verba illa: *Consultus, &c.* ipsius textus, ubi in hoc secundo casu professionis emissæ infcio conjugē, docetur, consultus, & congruentius esse ad monasterium redire; nam ibi consilium potius, quàm præceptum continetur, ut docuerunt Sanchez *supra, num. 11.* Sylvester verbo *Divortium, quest. 16. casu 3.* & firmatur *ex l. ii. ritul. 7. part. 1.* Tertius casus evenit cum professio ab uno ex conjugibus, altero sciente, & consentiente, emittitur; quo casu dicendum est, quod si alia requisita, videlicet professio alterius conjugis, si juvenis est; aut voti emissio, si senex, & Episcopi licentia accedant, juxta tradita *supra in cap. 1.* adeo professio valide emittitur, ut nec impugnari possit ab alio conjugē, nec status religiosus unquam de'eri ab ipso proficiente; si autem prædicta requisita non intercesserint, sed tantum consentiente conjugē alius professionem emittat, licet repeti possit à conjugē in seculo remanente, si non repetatur, eo defuncto, in religione persistere cogitur; immo si secundum matrimonium contrahat, nullum est, *cap. ex parte 9. cap. consultus 10. hoc titul.* docet Sanchez *diēt. disput. 33. per tot.* Unde cognoscitur differentia, quæ versatur inter hunc casum, & duos proxime relatos; nam in illis professio omnino nulla est, quia nihil habet conjux, quod per eam in monasterium transferat; hoc autem tertio casu per professionem religionis obligatur, licet possit repeti, revocarique à conjugē in seculo remanente, *diēt. cap. ex parte 9. hoc tit.* repeti tamen potest ab ipso, etiam consensum professioni præstitit, *ex cap. veniens 16. hoc tit.* quia nisi alia requisita intercesserint, conjux consensum præstando non sibi præjudicat. Nec contrarium probatur *in cap. Agathosa 21. 27. quest. 2.* ubi mulieri repetenti virum suum ad religionem conversum, duo opponuntur. Primum si cum ejus voluntate professionem fecit; secundò si ipsa se mutare permisit, quasi unum ex eis sufficit, ut mulier repellatur à viri petitione. Nam dicendum est, quod ut mulieri repetitio de-

negetur, duo illa simul concurrere debent, ut ait idem textus ibi: *sed si hoc repulerit*; ubi aperte ostenditur, duas illas condiciones, consensum videlicet mulieris, & promissionem castitatis concurrere omnino debere, ut repetitio uxori denegetur: quo modo etiam exponendus est idem textus *in vers. si vero horum*; scilicet ut utrumque concurrat ad excludendum foemina à petitione viri. Similiter etiam ex his accipiendus est textus *in cap. qui uxorem 10. 33. quest. 5.* dum docet, quod qui uxorem velari permiserit, hoc est religionem profiteri, aliam non accipiat; sed similiter convertatur: rectè enim inquit textus aliam accipere non posse, quia primum matrimonium solum non fuerat; sed ad uxorem reverti non prohibetur, licet tutius faciat si similiter convertatur, ut ita prior uxoris professio irrevocabilis maneat. Quartus denique casus evenire solet, cum unus ex conjugibus adulterium commisit spirituale, vel carnale; quo casu innocens ad religionem rectè transire potest, *cap. Agathosa 21. 27. quest. 2. cap. consultus 15. cap. veniens 16. cap. ultim. de convers. conjug.* nam propter adulterium justè divortium fit, & à mutua cohabitatione repellitur adulter, *c. plerumque 4. de donat. inter;* quæ causa justa est ad separationem thori, juxta doctrinam Domini apud Matthæum *c. 5. § 19. c. dixit Dominus 32. q. 1. c. significasti, c. ex literis, c. gaudemus de divort. junctis traditis à Thom. Sanchez lib. 10. de matrim. & in hac separatione vir, & uxor æquale jus habent, ut contra Capetanum *in diēt. cap. 19.* Matthæi verius docent Bellarminus *diēt. lib. 1. cap. 14.* Sanchez *diēt. lib. 10. disp. 3. num. 6.* quod & probatur *ex cap. præcepti 19. 32. quest. 5. cap. placuit 32. quest. 7.* Propter infidelitatem quoque separantur conjuges à mutuo consorcio, quia iniquum esset alterum cum altero habitare cum perverfione à fide, quod gravissimum dampnum est, *cap. 2. cap. de illa, cap. quanto 7. de divortii, cap. idololatria 28. quest. 1.* Cum ergo petere possint conjuges innocentes, ut his casibus separentur à mutua cohabitatione cum illo, qui in adulterium, hæresim, seu apostasiam à fide incidit, merito jus habent profitendi in religione, aut emittendi votum castitatis, absque eo, quod repeti possint à conjugē nocente, quia per adulterium spirituale, vel carnale amisit jus, quod habebat in alium conjugem ad cohabitandum, ut probat late Tom. Sanchez *libro 10. de matrim. disp. 3. cum sequent. & disputat. 15.**

CAPUT IV.

Idem (a) Exon, Episcopo.

CUM sis præditus scientiâ literarum, ignorare non potes, nec debes sanctorum Patrum institutioni obviare, ut vir uxore suâ in seculo remanente, aut uxor viro suo non assumente religionis habitum, debeat ad Religionem transire; quia cum vir, & uxor una caro sint, sicut docet Apostolus, non potest unus ad Deum (b) converti, & alter in seculo remanere. Inde est, quod auctoritate Apostolica prohibemus tibi, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migraverit, transire permittas: sed si voluerint ad Deum converti, uterque ad frugem melioris vitæ transeat. Verum si uxor ita (c) senex est, & sterilis, quod sine suspitione possit esse in seculo, dissimulare poteris, ut vir eâ in seculo remanente, & castitatem promittente, ad religionem transeat.

NOTE.

NOTÆ.

1. (a) *Exon.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* & post Concil. Lateran. p. 5. cap. 2. De Exoniensis Ecclesia nonnulla notavi in cap. 6. de filiis presbyr.
2. (b) *Converti.*] Converti, seu conversare, plerumque usurpatur pro monachum fieri, ut in *Capitul. Caroli. lib. 1. capit. 63.* Gregorius Turon. lib. 9. capit. 33. de Theutario presbytero, ibi: *Nuper ex Referendario conversus presbyteri honorem accepit.* Et similiter conversio ponitur pro transitu ad monasterium in Concil. Arausico. 1. can. 22. Arelat. 3. can. 1. & 2. Inde monachi, qui ex laicis facti fuerunt, appellantur converti: plura de illis adducentes notarunt Gibalinus *disquisit. 3. de clausur. cap. 2. §. 6. num. 42.* Zerca in *advers. cap. 44. num. 29.* Haaphthenus *tom. 1. disquisit. lib. 3. tract. 1. disquisit. 8.* Bignonius ad *Marculf. lib. 2. cap. 38.* Rither. ad *Salvanum fol. 136.* Stephanus Durantius *qq. jur. quest. 6.*
3. (c) *Senex.*] Quia incendia concupiscentiæ, quæ in juvenibus plerumque dantur, ut probavi in *cap. cum in juventute, de presump. senectute adveniente cessant: quare ætas illa venereis actibus inepta dicitur à Juvenali sat. 10.* Martialis *lib. 12. epigr. 28.* & Plato *lib. 1. de repub. circa principium ait: Senectute libidines restringi, & ea ætate libertatem à rebus venereis esse.* Cui consentit Cicero *de senect. illis verbis: O præclarum munus ætatis! siquidem id aufert à nobis, quod est etiam in adolescentia vitiosissimum.* Faciunt textus in *cap. fraternitatis 34. dist. ibi: Et ætas illius, de quo agitur, futura incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur.* D. Hieronymus relatus à Narbona ibi: *Senectus nos ab impudentissimis dominis liberat voluptatibus, gula imponit modum, libidinis frangit impetus.* Illustrant Acuña & Barbosa in *d. c. fraternitatis. Velascus de privol. pauper. quest. 18. num. 51.* Felonga in *cap. 1. rario. §. num. 12.* Merito, inquam constitutum est, ut in hac senili ætate existente conjugæ, quia incontinentiæ suspicio cessat, altero in seculo remanente, & voto castitatis oblitto, alter possit ingredi, & licite religionem profiteri. Sed quænam ætas sit hæc senilis, ut conjug possit in seculo remanere voto castitatis emissio, latè examinant post Thomam Sanchez, & Basilium, Barbosa *tom. 6. in select. ad hunc textum.* Narbona *de ætate ad actus human. anno 70. quest. 9.* qui resolvunt, in fœmina sufficere annum sexa-

gesimum; in viro autem desiderari septuagesimum, ut ita ob senectutem incontinentiæ suspicio cesset. Non autem desideratur tam longæva ætas, si conjug sterilis sit, id est aliquo languore, seu ægritudine prematur; siquidem cum non minus ægritudo, quàm senium fœminis sterilitatem inducat, ut probatur in *cap. sicut, & illic Glossa verbo Debilitate, 32. quest. 5.* & similiter suspensionem incontinentiæ auferat, ut argumento legis *sipater 15. §. in adrogationibus, ff. de adop.* docent Menochius *de presump. 47.* Thomas Accius *de infirmis. legal. p. 1. cap. 19.* & ideo infirmitate laborans, venereis rebus, quamvis adolescens, ineptus creditur, *l. filium 6. ff. de his qui sunt sui. l. si quis posthumus 9. ff. de liber. & posth.* inde accedente valetudine, etiam non sexagenaria fœmina, vel septuagenarius vir, sed minoris ætatis, liberè, & absque castitatis jactura in seculo remanere poterunt, ut resolyunt cum aliis Acacius Ripol *resol. jur. cap. 8. num. 273.* Diana *4. p. tract. 4. resol. 73.* Narbona *dict. quest. 9. num. 11.* Et ita rectè in præsentî Alex. decidit, senem, id est sexagenariam; vel sterilem, videlicet ita languore depressam, ut sterilis credatur, posse in seculo remanere voto castitatis emissio, ut ejus maritus valeat ad Religionem converti, & in ea licite, ac valide professionem emittere. Sed tunc difficilis est textus hic, dum in eo conjunctivè exigit Pontifex, ut conjug, quæ in seculo manet, sit senex, seu sterilis ad copulam; pro quorum verborum expositione Cardinalis in *præsenti, num. 1. oppos. 2.* Hostienf. *num. 4.* Covar. & alii, quos congerit Sanchez *libro 7. matrim. disputat. 32. num. 9.* docent, in præsentî casu solum senectutem non sufficere, ut conjug, quæ in seculo remanet, possit continenter vivere, quia cohabitatio matrimonialis præcessit; & ideo simul exigi, ut sterilis sit. Verùm hæc doctrina facile convincitur ex proximè traditis, & ex *cap. cum in juventute, de presump.* ubi tantùm ex senectute Episcopi continentia præsumitur, etiamsi neptem habuisset, quæ supponit in juventute liberos suscepisse, *l. 10. §. 2. ff. de gradibus, l. 29. ff. de liber. & posth.* ergo etiam in præsentî casu tantùm ex senectute castitas conjugis in seculo remanentis præsumitur. Quare eâ sententiâ omisâ verius credo, copulativam, & in præsentî accipiendam esse pro disjunctiva, argumento legis *sape ff. d. v. sita* ut sufficiat, quod conjug in seculo manens sit senex, vel sterilis ad copulam.

CAPUT V.

Idem (a) *Strigon. & Colon. Archiepiscopis.*

Conjugatus ad monasterium converti desiderans, prohibetur suscipi, nisi uxor ejus convertatur: nam cum unum utrorumque corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum est, partem converti, & partem in seculo remanere: nec recipitur apud Deum illius viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Cum igitur cœtus (b) clericorum longè præzeminat cœtui monachorum, ut ita aliquando bonus monachus vix bonum clericum faciat, nullus conjugatorum est ad ordines sacros promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus, ut fiat deinceps de carnali copula spirituale conjugium.

NOTÆ

NOTÆ.

1. (a) **S**trigon.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 5. & post Concilium Lateran. part. 5. cap. 6. De Strigon. & Colocen.

diocesibus egi in cap. finali, de postul. Prælat.

(b) Clericorum cœtus.] Ut doctè, & fusè probat contra Cellotium Franciscus Hallierius integro tom. de Hærar. Ecclæs. Commentarium hujus textus dedi suprâ in cap. 1.

CAPUT VI.

Idem (a) eadem.

Sanè si conjugati consenserint ordinari, etiam uxoris voluntas priùs requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissâ, postquam pariter conversi fuerint, ordinentur. Quod si (b) in quibuslibet Ecclesiasticis gradibus providenter, solerterque curandum est, ut in domo Dei nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multò magis laborandum est, ut in ejus promotione, qui supra omnes gradus continetur, non erretur. Inde est, quod f. v. auctoritate Apost. prohibemus, ne (c) uxorum in Episcopum præsumatis ordinare, nisi uxor priùs professâ continentiam sacram, (d) velamen sibi imponat, & religiosam vestem assumat. Nolumus enim, ut viri promotio uxore relicta in seculo fieri perditionis possit occasio,

NOTÆ.

- x. (a) **E**adem.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & post Concil. Lateran. p. 5. cap. 8. & quidem nescio, quo sine compilatores epistolam hanc diviserint, cum eandem materiam contineat, & sub eodem titulo ejus partes reperiantur.

nuriam filios habens in Episcopum eligebatur, tempore consecrationis inter alia, quæ in juramento promittebatur, illud specialiter spondebar, se non alienaturum aliquid in consulto Romano Pontifice, c. ego, ubi notavi, de jurejurando.

(d) Velamen.] Quodnam velamen possit vidui, & relicto à maritis dari exposui in cap. vidua 4. de regul.

(b) *Quod in quibuslibet.*] Verba sunt Leonis relati in cap. 5. dist. 61.

(c) *Uxoratum.*] Olim enim plerumque, aut ob fidelium inopiam, aut ob præclaras animi dotes, eximianque virtutem, etiam conjugati uxorem, filiosque habentes, non solum ad sacros ordines, verum etiam ad culmen dignitatum evehebantur, c. ult. 33. dist. c. 8. 34. dist. c. 1. de restam. c. 5. de hæretic. Probat Baronius anno 85. Barbosa de præst. Episcop. 1. p. tit. 2. glof. 4. Nec obstat fœminam corruptam consecrari non posse, ut probavi in cap. vidua, de regul. igitur nec vir corruptus in Episcopum consecrari valebit. Nam ratio hujus discriminis ex eo provenit, quia virgo consecranda Ecclesiam significat triumphantem, in qua nec macula, nec ruga est; Episcopus verò Ecclesiam militantem, in qua bonos, & malos contineri compertum est, cap. penult. 31. dist. cap. 21. 11. quest. 3. docet Germonius lib. 3. de favor. immunit. cap. 10. num. 17. Unde Episcopus etiam in matrimonio, vel extra corruptus, ordinari, & consecrari valet, non verò corrupta in sanctimonialem consecrari potest. Sequentibus verò seculis, cum major esset fidelium copia rejici cœperunt uxorati, quia credebatur facile eos dissipaturos patrimonium Ecclesiæ, cap. Catimensis 62. ibi: *Qui nec uxorem habeat, nec filios, nec crimen aliquod canonibus contrarium.* Rationem assignat Pelagius in cap. de Syracusana, 26. distinet. illis verbis: *Quia per filios ecclesiastica solet dissipari substantia.* Consonat Justinianus in authent. quomodo oport. Episc. collat. 1. & in authent. de sanctissimis Episcopis, collat. 9. titul. 9. ibi: *Nec filios, aut nepotes habens, nec cognitos lege, nec odibiles.* Illustrat Turturetus in paratul. dissert. 31. quare si aliquando ob sacerdotum pe-

COMMENTARIUM.

In decretalibus hucusque compilatis à Raymundo actum fuit de uxoris conversis ad religionem, & in ea professionem emittentibus, matrimonio consummato, vel rato manente; & quatenus uxor, si juvenis est, debeat non solum consensum præstare, verum etiam religionem ingredi: si verò senex est, castitatem tantum in seculo promittere. In præsentî textu agitur de viro, qui ad sacerdotalem statum promoveri cupit, non verò ad religionem converti. Circa quem non eadem disciplina Ecclesiæ fuit; nam omisso casu, cum adhuc matrimonium retum est, quem exposui suprâ in cap. 2. circa casum, in quo matrimonium consummatum est, qui in præsentî deciditur, sciendum est, non posse maritum ex antiquis Ecclesiæ canonibus invitâ uxore sacris ordinibus initiari, & ex noviori constitutione Bonifacii in cap. final. de temporib. ordin. lib. 6. nec primâ tonsurâ: ipsâ verò consentiente, & castitatem promittente, licet ad sacros ordines eum promoveri, ut probavi in cap. 1. de cleric. conjug. Sed an ultra promissionem castitatis desideretur etiam, ut uxor juvenis religionem profiteatur, ut in juribus antecedentibus disputant Sanchez de matrim. libro 7. disput. 39. Espenceus lib. 6. de voto contin. cap. 6. Balilius de matrim. lib. 7. cap. 25. Acunna in cap. Episcopus 6. dist. 77. Hurtado pe. resid. tom. 2. lib. 3. resol. 3. fol. 160. In qua questione verum est, non desiderari professionem ipsius conjugis, sed tantum desiderari professionem castitatis in seculis, sequestrato mansionis cubiculo, ut in præsentî textu docetur, & in cap. volumus, 28. dist.

dist. cap. Episcopus 6. 71. dist. unde tot sacris Ecclesie canonibus prohibitum legitur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, accedere ad uxorem iam relictam, & sequestratam. Concil. Turon. 2. sub Joanne III. can. 14. Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum. Et can. 20. Si inuentus fuerit Presbyter cum sua Presbyteria, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, per annum integrum excommunicatus habeatur. Concil. Altiflod. can. 21. ibi: Ne Presbyter cum sua Presbytero dormiat. Et cap. si quis rapuerit 27. quest. 1. quibus Concilio decretis lucem affert historia Ursicini Episcopi, qui à tempore accepti ordinis presbyteram suam ut fororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere non sinebat, ut refertur in cap. presbyter, 32. dist. In eodem etiam sensu accipiendum est decretum Zacharie Papæ de Presbyteria, Diacona, Nona, Monacha nefario coniugio minime copulandis. Vocabantur ergo Episcopa, Presbyteræ, Diaconissæ, Subdiaconissæ, quæ nomine alio, relicta Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi dicuntur in Concilio Aurel. 1. can. 13. Altiflod. can. 22. Epaun. can. 32. & aliis. Debebant ergo olim uxores Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum castitatem voveri antequam earum mariti sacris ordinibus initiarentur; itemque vel monialium cœtui aggregari, vel in Diaconissarum ordinem adlegi solebant: quod Synodus 6. can. 42. aperte ostendit ibi: Uxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promotus

est, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione structum, & Episcopi providentiâ fruatur; sui autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem promoveatur. Exemplis etiam id illustrat Hallier. de saceris elect. cap. 2. §. 6. fol. 503. sed ex novo jure præsentis textus uxor Episcopi debet necessariò religionem ingredi, tum ob sanctiorem mariti vitam, tum ob ejus majorem dignitatem, Uxores autem relictae, tam ab Episcopis, & Presbyteris, quam à Subdiaconis, quia castitatem promittebant, etiam defunctis maritis ad secundas nuptias transire non poterant. Concil. Aurel. 1. can. 13. Si se quacunque mulier duplici coniugio Presbyteri, vel Diaconi relicta coniunxerit, aut castigati separentur, aut certe si in criminum intentione persisterint, pari excommunicatione plebentur. Concil. Altiflod. can. 22. Non licet relicta Presbyteri, nec relicta Diaconi, nec Subdiaconi post ejus mortem maritum acciperet. Epaun. can. 32. Relicta Presbyteri, sive Diaconi, si cuiquam nupsit, eam ab Ecclesia elongentur, donec à conjunctione illicita separentur. Concil. Brachar. 1. can. 19. Vidua Episcopi, Presbyteri, Diaconi, si maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communicet, nisi moriens. Tolet. 1. can. 18. Earum tamen matrimonium validum fuisse, quia votum castitatis ipsarum tantum simplex erat, non verò solenne, rectè probat ex Concil. Tolet. 1. can. 16. Basil. de matrim. lib. 7. capite 25. num. final.

CAPUT VII.

Idem (a) Brixienf. Episcopo.

EX publico instrumento, quod nobis est præsentatum, & ex tenore literarum tuarum nobis innouit, quod cum venerabilis frater noster Veronen. Episcop. de mandato nostro causam matrimonii, quæ inter Agelaten. virum, & Matthemiam mulierem vertebatur, suscepisset sine canonico terminandam, auditis utriusque partis allegationibus, inter eos judiciali sententiâ matrimonium approbavit, & eidem mulieri præcepit, ut ad virum suum rediret, & exhiberet conjugalem affectum. Verum cum eadem mulier ad eum juxta sententiâ prædicti Episcopi regredi nollet, de mandato nostro, sicut accepimus, fuit vinculo excommunicationis adstricta. Ceterum, quia præfata mulier, licet à præfato viro desponsata fuerit; adhuc tamen, sicut asserit, ab ipso non est cognita: f. t. p. A. f. p. m. quat. si prædictus vir mulierem ipsam non cognovit carnaliter, & eadem mulier, sicut ex parte tua nobis proponitur, ad religionem transire voluerit, receptâ ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam contrad. & ap. cess. à sententiâ, quâ tenetur, absolvas. Ita quod si ad religionem transire maluerit, uterque restituat alteri, si qua (b) alter ab altero habuerit; & vir ipse, eâ religionis habitum assumente, ad alia vota licentiam habeat transeundi. Sanè quod Dominus in Evangelio dicit: Non licet viro uxorem suam, nisi ob causam fornicationis dimittere; intelligendum est secundum interpretationes sacri eloquii, de his, quorum matrimonium est carnali copulâ consummatum, sine qua matrimonium consummari non potest; & ideo si prædicta mulier non fuit à viro suo cognita, licitum est ei ad religionem transire.

NOTÆ.

1. (a) Brixienf.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 7. & post Concil. Lat. p. 5. c. 8. ex quibus collectionibus textum hunc transcribo. De Brixienf. dicecefi aliqua notavi in c. tne, de procur. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

(b) Ab altero habuerit.] Consonat Capitulare Ludovici addit. 3. capite 20. ibi: Si sponsus vel sponsa intraverit monasterium, id quod arrarum nomine datum est, in simplum tantum redatur.

datur. Et jure etiam civili, cum matrimonium consummatum erat, idem procedebat, ac si solum esset matrimonium per mortem, *novel. 22. festin. cap. 5.* ibi: *Brevi solatium consequente eo, qui relictus est, ut prater restitutionem dotis, vel propter nuptias donationis retentionem id lucratur, de quo convenit in casu mortis.* Non autem lucratur, inquit Justinianus, id, de quo convenit in casum repudii;

quia hæc conjugii dissolutio potius ad mortem accedit, quam ad repudium, cum religiosus mortuus mundo dicatur. *cap. placuit 16. quasi. 1.* De dote, lucris dotalibus, arris, & jocalibus restituentis soluto matrimonio rato, seu consummato, per ingressum religionis, agunt Tondutus *rom. 1. resol. benef. cap. 16. num. 7.* Zypæus *ad hunc tit. consult. 1.*

CAPUT VIII.

Idem G. Priori, & Fratribus (a) S. Joannis.

Vxoratum autem sine licentia propriæ uxoris inter vos nullatenus recipiatis, quæ integræ famæ, & opinionis ita existat, quod nulla marito (b) suspicio habeatur, eam ad secunda vota velle migrare, vel quod minus continenter debeat vivere: quæ si, prout dictum est, talis extiterit, marito ejus in consortio vestro recepto, ipsa publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam professâ, in domo propria cum filiis suis, familiaque poterit permanere. Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, voto continentiam celebrato à secularium hominum conversatione se removeat, & in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur. Nullus vestrum audeat aliquam mulierem confurare, vel eam ad (c) habitandum secum assumat.

NOTÆ.

- (a) *S. Ancti Joannis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc ritul. cap. 8.* ubi additur, *pars capituli ad petitionem:* post Concil. Later. p. 5. cap. 9. legitur *Alexand. III. Priori G. & Fratribus juxta disciplinam bonæ memoriæ Electi viventibus.* Et in *cap. ad petitionem, de regul. in 1. collect.* ubi extat prior pars hujus textus, legitur, *Alexander III. Cruciatas.* Quæ omnia mirè conveniunt, si observemus, congregationem Cruciatorum, seu Cruciferorum, sic dictam fuisse à cruce, quam religiosi manibus circumferunt; institutam à Sancto Cleto Pontifice anno Christi 83, quæ renovata fuit à sancto Cyriaco Episcopo Hierosolym. post inventam Christi crucem à sancta Helena Constantinii Imperatoris matre, anno plus minusve 358. Item ab Urbano II. anno 1087. ab Alexandro III. & Cælestino III. anno 1197. & ab Innoc. III. sed præsertim à Pio II. in Concilio Mantifano anno 1460. Hujus Pontificis decreto ferunt Cruciferi manibus cruces argenteas, & alicubi in pectore ex albo, & rubro panno. Utuntur etiam habitu caruleo, & servant regulam sancti Augustini. Priscis seculis habuerunt plusquam ducenta monasteria per Hispaniam, Galliam, & Germaniam, Dalmatiam, & Græciam; nunc intra Italiam continentur. Plura de his Cruciferis tradunt Marcus Ant. Boldus, & Benedictus Leo historici ejusdem familie. Baronius *tom. 1. anno 93. & in Martyrol. die 27. Aprilis, Acuña in cap. generalis 12. 54. dist.* Unde rectè in scripto textus in *dict. cap. ad petitionem*, ita conpicitur, *Alexan-*

der III. Cruciatas. Et à Pontifice approbatur, & commendatur eorum Religio per hæc verba: *Ad petitionem vestram, regulam, secundum quam vivere debeatis, & omnipotenti Deo servare, duximus constituendam. In primis id statuentes, ut professionem majori Priori faciant omnes laici in manu ejus, se absque proprio victurus promittentes, & continentiam, in quantum permiserit divina gratia, servare. Qui quidem, & tam clerici, quam laici, proprio Magistro, animarum suarum Rectori debitam in omnibus reverentiam promittant, nec alicui inter vos professo liceat ad alium Ordinem absque Prioris licentia nullo modo transire, nisi forte ad Religionem migraverit arctiorem. Nullus absque majoris Prioris licentia hospitalale audeat facere; nullus proprium habeat: siquid acquisierit, suo Rectori assignet: nullus vestrum alii vobiscum esse volenti crucem tribuat, sed per medium annum integrum vobiscum in probatione permaneat, & tunc majori Priori presentetur, ut ab ipso, non ab alio crucem suscipiat. Et in *dict. cap. 9. p. 5.* post Concil. Later. rectè habetur, *Priori G. Giraldo videlicet, & fratribus juxta disciplinam bonæ memoriæ Electi (lege Cleti) viventibus.* Quia fratres isti regulam à B. Cleto institutam profitebantur: Monasterium autem S. Joannis, cujus mentio hic fit, erat ipsorum Cruciatorum; unde facile deducitur, in presenti agi de ipsis religiosi cruciatas.*

(b) *Suspicio.*] Juxta tradita in *cap. 1. hoc tit.*
(c) *Habitandum secum.*] Juxta adducta supra in *cap. 6. de regul.*

CAPUT IX.

Urbanus III. Priori (a) S. Crucis.

EX parte dilecti filii Abbatis sancti Petri de (b) Romandin ad audientiam nostram peruenit, quod cum D. de Ter. in (c) infirmitate positus, consentiente uxore ipsius, votum vovens castitatis monachalem habitum (d) suscepisset, postmodum ab infirmitatis ipsius liberatus angustia, & praedictam uxorem suam (e) retinuit, & aliam eam defunctam sibi temere copulavit. Quia vero licet praedictus D. uxore sua remanente in seculo de iure ad religionem (f) nequiverit proficisci, eam tamen sublatam de medio, votum quidem factum sine salutis suae periculo nequaquam potuit violare: m. quat. si verum est, quod asseritur, praedictum D. per excommunicationem compellas, ut eam mulierem sine dilatione dimittat, & ad suum monasterium (g) revertatur, de caetero sub regulari habitu Domino serviturus.

NOTÆ.

1. (a) *Sancta Crucis.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* Credo monasterium hoc esse canonicorum regularium Ordinis Augustini; quod extat in diocesi Pictaviensi, de quo Perinotus *lib. 2. histor. canonic. regul. cap. 33. num. 17.* Alia vero & diversa est militia Crucelignatorum, quam profiteri poterant, & crucem assumere viri etiam invitis uxoribus, ut decrevit Innocentius III. *lib. 4. regestr. i. 6. epist. 111.*

1. (b) *De Romandin.*] Ramandui, Ptolomeo teste *libro 2. capite 1.* sunt populi sub Rothomago; quos Rothomanos esse Volaterranus scribit: hodie vero Mandui, aliis Romandui dicuntur, ut ipse Volaterranus tradit. Apud eos est monasterium hoc Sancti Petri, Ordinis D. Benedicti; de quo nonnulla adducit Papirius Mason. *in descript. Gall. per flumina; fol. 77.*

(c) *In infirmitate positus.*] De valore professionis in aegritudine emissa egi *in cap. sicur. de regul.*

(d) *Suscipisset.*] Et ita votum solenne fecit cum emissionem professionis in ipso monasterio, aliis si simplex votum esset; licet non honeste; valide tamen mortua uxore cum alia matrimonium contraheret, ut supra probavi *in cap. quidam 5.*

(e) *Retinuit.*] Non tamen ipsa eum repetebat a monasterio; nec intendebat contra consensum jam praestitum cum ipso cohabitare, ut nonnulli in praesenti exponebant; unde ingentem difficultatis molem sibi imponebant; quam dissolvere intendit Garaña *in capite 1. hoc titul. num. 3.*

(f) *Nequiverit.*] Quia cum juvenis, non solum consensum praestare, verum & similiter religionem profiteri tenebatur, juxta supra tradita *in cap. 1.*

(g) *Revertatur.*] Quia cum solenniter professionem emisisset in ea, non poterat ipsam deserere, ut post repetentes in praesenti docet Basilius *lib. 9. de matrim. cap. 12.* nec ipse impugnare factum proprium; *ex l. post mortem; ff. de adopt. docet Garaña in dict. capite 1. num. 4. & 5.*

CAPUT X.

(a) Coelestinus.

CONSULUIT nos G. sacerdos de Sancta Columba, utrum vir mercator, negotiationi, & uxori propter Deum renuncians, ad religionis habitum transiens, & in eo per annum, & amplius moram faciens, uxore sua, postquam ad domum transierat regularem, de praesenti vita sublatam, secularem habitum resumere valeat, quem dimisit, & aliam ducere in uxorem; vel si ductam ei liceat retinere? Cui consultationi taliter duximus respondendum, quod praedictus vir, nec habitum potest abjicere, quem assumpsit; nec aliquam sibi matrimonio copulare. Quod si contraxerit, matrimonium ipsum decrevimus dirimendum.

NOTÆ.

1. (a) *Coelestinus.*] Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc titul. cap. 2.* nullibi tamen exprimitur Praelatus, cui rescribat Pontifex; nec liquet, de quo monasterio in praesenti agatur. Varias in hoc textu agnoscunt diffi-

cultates repetentes hic; Garaña *in cap. 1. hoc tit. num. 5.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disputat. 34.* Basilius *eod. tract. lib. 9. cap. 11. num. 12.* quas omnes facile dissolves, si supponas, uxorem in praesenti specie consensisse, ut maritus monasticam

N n n 2

profes-

professionem emitteret; sed quia senex erat, ipsa in seculo remansit. Unde cum professio undequaque licita, & solennis esset, non poterat postea defuncta

uxore contra votum ita solenniter emissum matrimonium contrahere, ut in textu antecedenti notatur.

CAPUT XI.

(a) Idem.

Charissimus in Christo filius noster R. (b) Rex Illustris Suevorum Apostolani nostro literis, & nuntio humiliter nunciavit, quod cum esset adolescens, & dilecta uxor ejus juvenula, mutuâ fide voto contrahendi legitimi matrimonii se adstringentes, invicem consensum suum, accedente (c) voluntate parentum, arrarum donatione roboraverunt. Postmodum verò claræ memoriæ N. patre suo ab inimicis occiso, cum per bellorum aduersitatem undique premeretur, & habito cum hostibus suis congressu, victus, fugatusque fuisset; quia timebat, ne ipsa sponsa ab inimicis suis per violentiam raperetur, & alias similis ei non inueniretur in Regno, quam sibi posset matrimonialiter copulare: de suorum, & ejusdem sponsæ consilio factum est, quod in conventu habitum sanctimonialium monasticum sine proposito perpetualiter retinendi suscepit, & ibidem per aliquot annos moram fecit, ne quid ab inimicis in juria pateretur. Quam cum pace reddidit, & obtento de inimicis triumpho, solenniter duxisset, cum grandi exultatione uxorem, & ex ea filios suscepisset, unum eorum de communi consensu, & electione Principum Sueviæ in Regnum sibi instituit successorem: procedente verò tempore, prædicta uxor gravi infirmitate correpta, cum se de hac vita crederet decessuram, timore mortis inducta, continentiam vovit. Cumque Rex ipse nollet eam contristare, concessit ad (d) tempus; nunc autem se continere proponit non posse; & quod licitè posse fieri arbitratur, ad thorum uxoris sue cupit redire: & ad reprimendas æmulorum suorum detractiones, & obloquia, petiit à nobis dari sibi in mandatis, ut uxorem suam auctoritate nostra maritali affectione pertractet, non obstante voto continentia; in cæutè ab ipsa emissio; & ab eodem Rege ad tempus approbato. Verùm quia super his nos ad plenum non potuimus elicere veritatem, s. t. cognitionem eorum, & decisionem canonicam duximus committendam, per A. f. m. ut super his inquiratis diligentius veritatem; & si vobis constiterit, quod prædicta mulier primò fuit inter moniales recepta timore violentia, & rapina, & propositum profitebatur se habuisse nubendi, cum inter eas moram faceret, præsertim cum postmodum in facie Ecclesiæ publicè Regi nupserit, & usque ad hæc tempora cohabitando, filios ex ea suscepit, eam denunciatis præfato monasterio non teneri; non enim factum illud contractum matrimonii potest dirimere, etsi fortè posset matrimonium contrahendum impedire. De alio verò ita follicitè discretio fraternitatis vestrae discutiatur, quod si inueneritis eandem gravi infirmitate depressam, continentiam vovisse, & virum ejus ad tempus præbuisse consensum, maxime si non idem vir peræquè continentiam voverit perpetuam, eandem viro cohabitare faciat, & invicem utrumque maritali affectione tractare.

NOTÆ.

i. (a) **C**elestinus.] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titul. cap. 3. nullibi tamen exprimitur, quibus Prælati Pontifex describat.

(b) **Rex illustris Suevorum.**] Non accipias textum hunc de Suevis, & eorum Rege, quorum Imperium in Gallecia duravit per 174. annos, donec à Leo Vigildo Gothorum Rege eorum Regnum deletum fuit, & in Gothos translatum anno 585. ut referunt Sanctus Isidorus in *chron. Suevor.* Roderic. Tolet. *de rebus Hisp. lib. 2. cap. 14.* & in *hisp. Suevor. cap. 2.* Ioan. Valcus in *chron. Hisp. anno 584.* Olaus Magnus *lib. 16. hist. Goth. cap. 9.* Sahabedra in *chron. Goth. cap. 15.* unde cum ultimus eorum Rex Mirus dictus decessisset anno 584. non pote-

rat temporibus Cælestini III. reperiri Rex Richardus, de quo in præfenti. Agitur ergo in hoc textu de Rege Sueviæ, cujus Regnum est ultra quinquagesimum quintum Septentrionalis latitudinis gradum ad mille Italica millaria, quâ latissimum est, usque ad septuagesimum secundum gradum extenditur; longitudine mille quinquaginta non extendit. Regnum fuit olim incolarum multitudinem plenum; Regiam dignitatem electivam antea, postea hereditariam fecit, ut plura adducentes de Suevis, & eorum nobilitate tradunt Cyriacus Spangemberger. Martinus Crusius, Ceilerus ejus generis scriptores, & Bucelinus *rom. 1. German. sacra. fol. 6. & rom. 3. fol. 12.*

(c) **Voluntate parentum.**] De consensu parentum

parentum in nuptiis filiorum agemus in cap. 1. de
despons. impub.

confensisset, non posset eam licite repetere, ut probaui supra in cap. 1. ex quo commentario præsens
petendum est.

(d) Concessit ad tempus.] Aliàs si in perpetuum

CAPUT XII.

(a) Idem.

Placet nobis, & tuam prudentiam commendamus, quòd in causis dubiis Sedis Apostolicæ consilium requiris. Licet enim præditus sis scientiâ litterarum, ad matrem tuam Rom. Ecclesiâ idcirco deuotè recurris, ut habitâ, super quo dubitas, responsione condignâ, quam in similibus seruire formam debeas, euidenter agnoscas. Per dil. autem filium W. Decanum Cathalaun. Apostolatum nostrum sollicitudo tua consuluit, utrum mulier, quæ credens (b) mortuum maritum, habitum religionis assumpsit, & eo reuerso, de monasterio (c) educa fuit, post obitum viri sit ad obseruantiam regulæ compellenda? Super quo disc. tuæ sic respondemus, quod licet votum ejus non tenuerit usquequaque, eatenus tamen fuit obligatorum, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius; redire uero ad seculum, in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti: & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desit, cum ad eum casum redierit, à quo poterat efficax habere principium. Consultius itaque dicimus, & ei congruentius ad salutem, prædecessoris enim felicitatis memoriæ Alexandri (d) Papæ vestigia imitantes, ut uanitatibus seculis derelictis, ad monasterium redeat, ubi bonâ ducta intentione professionem fecit, & habitum religionis accepit. Si uero ad hoc induci non poterit, in uitam ipsam credimus non cogendam.

NOTÆ.

1. (a) [Dem.] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 4. sed nec in ea exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex, & forsitan scripsit Episcopo Cathalaunenfi, de qua Ecclesiâ egi in cap. 57. de elect.

(b) Mortuum maritum.] Et per consequens cum falsa causa, argum. final. ff. de hered. instit.

2. (c) Educa.] Per maritum, qui jure eam repetebat, ex traditis in cap. 1. hoc tit. unde cum professio nulla esset ex defectu consensus viri, ideo Cælestinus ait, defuncto viro monendam eam esse, non cogendam, ut ad monasterium reuertatur; quoad castitatem uero promissam tenetur soluto matrimonio eam seruire, quia renuncians juri proprio, eam promittere valebat. Basilius lib. 9. de matrim. cap. 11. & lib. 10. cap.

final. probaui in cap. quidam 3. hoc tit. ubi textum hunc exposui.

(b) Alexand. III.] Relati in cap. 1. hoc tit. Nec huic constitutioni aduersatur P. Blesensis epistol. 19. ubi uxor, quæ falso rumore decepta, & mortuum uirum existimans, professionem in monasterio emisit, & reuerso marito egredi coacta fuerat, mortuo ipso viro non cogitur redire ad monasterium, ex ipsius Blesensis sententia; immò alteri nubere potest. Nam id accipiendum est, quando votum castitatis emisit, cum habita consideratione ad uitam, & professionem regularem; quia tunc cum professio ipsa nulla sit, deficiente consensu ipsius viri, non solum eo defuncto ad religionem redire non cogitur, uerum & ad secundas nuptias transire ualet, juxta adducta supra in capite 3.

CAPUT XIII.

Innocentius III. Archiepiscopo (a) Pisan.

AD Apost. Sed. Et infra: Cum autem vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars uerti possit ad Dominum, & altera in seculo remanere, profectò non est alter conjugum recipiendus ad obseruantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat: nec uitam quoque debet mutare, nisi fortè ejus ætatis sit, ut sine suspitione incontinentiæ ualeat in seculo remanere.

(a) P[ro]ssan.] Præsentem inscriptionem, & inte-

gram textus retuli, & exposui in c. ad nostram. de ve-
gal. & commentarium hujus textus dedi in cap. 1.
cap. cum sis, hoc tit.

CAPUT XIV.

Idem (a) Lugdun. Archiepiscopo.

EX parte tua nostris est auribus intimatum, quod cum quædam mulier dicecesana tua (b) velum viduitatis coram duobus Abbatibus assumpsisset, benedictione solenni cum celebratione Missæ, ac Litaniam, sicut debuit, accedente, postmodum quidam nobilis, qui sex mensibus antè proponebat se mulierem ipsam mediantibus (c) internunciis per verba de præsentibus, (d) arræ etiam interpositâ desponsasse, audito quod mulier ipsa velum assumpsisset, misit ad eam, ut desponsationem factam carnalis copula sequeretur. Tu verò postquam fuit ad tuam audientiam res perlata, inhibere, curasti, ne ante discussionem negotii se carnaliter commiserent: postmodum muliere ipsâ in tua præsentia constitutâ, quævisisti utrum consensisset in illum, & quare ab illo quereretur separari. At illa se in illum consensisse confessâ, dixit quod audierat eum esse leprâ (e) percussum, & ob hoc eus fuerat abominata complexus. Cum autem postmodum per testes idoneos tibi fuisset plenior facta fides, quod ante susceptionem veli mutuo intervenerat inter ipsos per verba de præsentibus consensus, Sed. duxisti Ap. consulendam, utrum veli susceptio impediat matrimonium inter ipsos. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod etsi possit non inconsultè videri, quod ex quo matrimonium inter personas legitimas per verba de præsentibus contrahitur, illis viventibus in nullo possit casu dissolvi, ut vivente relicto, alter ad secunda vota transmigraret, etiam si unus fidelium, inter quos est ratum conjugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero sine contumelia Creatoris; nisi forte secus fieret ex revelatione divina, quæ superat omnem legem, sicut à quibusdam Sanctis legitur esse factum. Nos autem à præd. nostrorum vestigiis in hoc articulo subito declinare nolentes, qui respondere consulti, quod antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licet alteri conjugum, relicto etiam inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari; hoc ipsum tibi consulimus observandum in articulo prænotato, quamvis falsa sit (f) causa, propter quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta, cum sine qualibet tali causa id ipsum religionis obtentu facere potuisset. Porro licet prædicta mulier videatur in veli susceptione religionis habitum assumpsisse, si tamen velit in (g) domo propria permanere, quasi propositum castitatis in seculo servatura, nihilominus consummandum est matrimonium jam contractum, nisi se voto adstrinxerit ad observantiam regularem, in quo casu compelli potest, ut relicto seculo, religionis propositum exequatur.

NOTÆ.

- I. (a) [Ugdunensib.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. De Ecclesia Lugdun. plura adduxi in cap. 25. de rescript.
(b) Velum viduitatis.] De quo plura adduximus in cap. vidua 4. de regul.
(c) Mediantibus internunciis.] Notissimum est, inter absentes matrimonium contrahi posse, cap. final. de procurat. lib. 6. cap. veniens 5. qui clerici vel vor. l. mulierem 5. ff. de ritu nupt. Illustrant Sanchez lib. 2. de matrim. disputat. 11. Bafiliius eodem tract. lib. 1. cap. 10. P. Gregorius lib. 1. partit. final. 12. cap. final. Arias à Mela lib. 3. var. cap. 43. licet enim alia sacramenta corporalem præsentiam exigant, cap. multi 94. 1. quest. 1. tamen cum matrimonium sit contractus elevatus ad esse sacramenti, & inter absentes contractus celebrari valeant, l. sed & socius 17. §. 1. ff. pro socio, l. 6. ff. de lege commissoria, inde

matrimonium inter absentes contrahi valet, ut latius profequitur Petrus Bajo Arroyo in dicit. cap. finali.

(d) Arræ.] Quod signum magnum est celebrati matrimonii, cap. tenor, c. lator, de rejudic. c. finali ubi dicemus, de despons. impub. c. nostrates. c. femina 30. q. 5. nam sicut ad firmandos contractus civiles arræ intercedit, l. quod sepe 35. ff. de contrahend. emptio. l. ex empto 11. §. is qui vna, ff. de alimont. empti, l. cunctunque 5. §. item, ff. de institut. l. 2. C. quando liceat ab emptione. l. ex arrali 3. C. de action. empti, l. 2. §. Sabinus, ff. pro emptore: illustrant pluribus relatis D. Nicolaus à Castro in §. 1. de emptio. & vendit. D. Josephus de Retes lib. 2. opusc. cap. 1. Osvaldus lib. 13. comment. Donel. lit. Z. Sic etiam in matrimonio archa traditur, cujus ritus alias rationes debimus in cap. final. de despons. impub.

(e) Leprâ percussum.] Unde constat, uxorem veluti sibi imposuisse, quia existimabat lepram divortii

divortii causam esse, quod falsum esse probabimus infra in cap. 3. de conjug. leprof.

(f) *Quamvis falsa sit causa.*] Cap. magne, de voto, ubi dicemus.

3. (g) *In domo propria permanere.*] Nec tunc obstat textus in cap. final. qui clericis, vel vov. ubi proponitur, mulierem post desponsationem cuiusdam Religiosi Sancti Augustini votum castitatis emisisse, eo adjecto tenore, ut in domo propria cum omni patrimonio remaneret; & cum per biennium vitam monasticam servasset, postea matrimonium contraxit eo prætextu, quod votum casti-

tatis metu Regis & parentum emisisset. Consultus Innocentius III. decrevit, eam mulierem cogendam esse vitam religiosam peragere: Igitur quia per professionem in propria domo factam status religiosus amplectitur, & matrimonium contractum dirimitur. Nam respondendum est, quod in eo textu mulier, quæ professionem fecit, adhuc matrimonium non contraxerat, & ita rectè potuit votum castitatis emittere: at verò in præsentī textu matrimonium erat contractum, & ita sine consensu sponſi non poterat per votum castitatis dissolvi.

CAPUT XV.

Idem Ruthensi (a) Episcopo.

CONSTITUTUS in præsentia nostra Hug. Vital. lator præsentium, humili nobis confessione monstravit, quod cum esset in (b) acolytatus ordine constitutus, quandam puellam R. nomine in facie Ecclesiæ duxit in uxorem. Cumque aliquandiu cohabitassent inſimul, & ipse eam carnaliter cognovisset, ortâ discordiâ inter eum, & amicos puellæ, coram te habito diligenti tractatu, prædicta puella fuit cuidam alii Vitali nomine copulata: & tu memoratum H. usque ad gradum sacerdotii ordinasti, & eidem Ecclesiæ concessisti. Cum autem eum sua conscientia remorderet, & de consilio quorundam religiosorum habitum (c) Cisterciens. Ordinis assumpsisset, tandem Abbati suo omnia revelavit; qui eum commonuit diligenter, ut super hoc saluti suæ animæ provideret. Ideoque f. t. per A. f. m. quat. si res ita se habet, prædictam R. ut recedat à præfato Vitali, cui per adulterium est conjuncta, nec prædictum monachum impetat, quominus regulare votum valeat adimplere, per cens. eccl. subl. app. obst. cogere non omittas.

NOTÆ.

1. (a) *Ruthensi.*] In tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. legitur *Niclenen.* in hac verò sexta legitur *Rudenenſi*; sed legendum esse *Ruthenensē*, jam notavit Manrique tom. 3. *annal. Cisterc.* anno 1210. cap. 8. num. 9. Rutheni enim sunt populi Galliæ Narbonensis, non longè ab Arvernīs, & Sanctonibus, quorum meminerunt Cæsar libro 1. de bello Gallico, Strabo libro 4. Gregorius Turon. lib. 2. *hist. cap. 36. & 37.* Sidonius lib. 4. *epist. 15. & lib. 7. epist. 6.* Ruthe-

na civitas habet Ecclesiam Cathedralem D. Stephano dicatam, cujus Præsuli Hugoni missa est præsens decretalis, de quo agunt Fratres Sarmathani tom. 3. *Gall. Christ. fol. 95a.* Chenu in *chron. Gall. fol. 354.*

(b) *Acolytatus.*] De quo gradu egi in cap. 2. de offic. *Archid.*

(c) *Ordinis Cisterciensis.*] In quo tamen monasterio non constat, quamvis esse videatur unum ex quatuor, quæ in diocesi Ruthenensi Cistercium habet, nimirum Bonavallis, Locus Dei, Belus-locus, & Bonacumba.

CAPUT XVI.

Idem Episcopo (a) Patavien. & Abbati de Borun. Barderbergen. Patavien. diœc.

Veniens ad præsentiam nostram dil. f. L. lator præsentium, nobis humiliter intimavit, quod cum olim intrandi monasterium propositum concepisset, pluribus sacerdotibus, militibus, & aliis viris præsentibus apud uxorem suam precibus institit, ut super hoc suum impertiretur assensum, eisdem presbiteris primitus exoratis, ne præfata mulieri exponeretur, quod & ipsam oporteret derelinquere (b) seculum, si viro suo daretur licentiam ad monasterium convolandi. Cumque ipsum mulier, ne ab ea discederet, vice mutuâ precaretur, ipse asserens, quod nisi ab ea possent super hoc obtinere licentiam, non solum ei se inutilem redderet, sed etiam toti mundo: ipsa demum tam ipsius, quam multorum adstantium precibus, flentibusque devicta, caput ejus altari supposuit (c) manu sua, qui ea præsentē (d) tonsuratus ibidem, monasterium adiit, & finito probationis (e) tempore, professionem fecit solenniter monachalem.

Nnn 4

nachalem.

nachalem. Illa verò in seculo remanens, inhonestos amatores admittit; unde idem L. metuens ne suæ continentia illius incontinentia imputetur, an in monasterio perseverare debeat, à nobis consilium postulavit. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, prædictum L. in monasterio, quod intravit, absque inquisitione cuiusquam perseverare liberè permittatis. Licet enim in hoc videatur non modicum deliquisse, quod (f) cautè asseruit, quia nisi sibi eadem mulier consentiret, tam sibi, quam toti mundo se inutilem redderet: & cum presbyteros exoravit, ne prædictæ mulieri exponerent, quod eandem relinquere seculum oporteret, si fortè licentiam daret viro; ex quo tamen eadem mulier caput viri altari sponte supposuit, & postmodum, sicut asseritur, vixit incontinentè, super revocatione ipsius non esset aliquatenus audienda, cum ipsius intentio, si eundem fortè repereret, exceptione posset commissæ fornicationis elidi, maxime cum antequam fuerit fornicata, ipsum non duxerit repetendum.

NOTÆ.

1. (a) *Paraviens.*] In tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 3. legitur *Paraviens*: at verò in hac sexta legitur, *Pictaviens*, nec ex textu serie cognosci potest; ultra littera verior sit, immo epigraphæ adeo corrupta est, ut nullo modo cognosci possit, de quo monasterio in præfenti agatur. De diocesi Pictaviensi egi in cap. super 20. de rescriptis.
2. (b) *De relinquere seculum.*] Quia juvenis erat, & ita non solum votum castitatis emittere in seculo, verum & simul religionem ingredi tenebatur, ut probavi supra in cap. 1.
(c) *Manusua.*] Quasi donans, seu offerens religioni, juxta tradita in cap. 2. de consuet.
(d) *Tonsuratus.*] In formam monachi, juxta adducta in cap. 1. de regul.
3. (e) *Probationis tempore.*] Anno videlicet, juxta tradita in cap. ad Apostol. de regul.
(f) *Cantè.*] An professio religionis emissâ per captionem, seu dolum, valida sit exposui in cap. ad nostram, in fine, de regul.

COMMENTARIUM.

4. **I**n his duabus Decretalibus exponitur casus ille, in quo unus ex conjugibus adulterium commisit; quo casu certum est, professionem in religione emitti posse ab innocente, invito eo, qui per adulterium causam divortio dedit, & culpâ suâ jus repetendi conjugem ad mutuam cohabitationem amisit, ut in præfenti docetur, & probant Sanchez de matrim. lib. 10. disput. 11. num. 2. & alii supra laudati in cap. 3. hoc tit. Atque ideo adulterio conjugem ignorante, aut sciente, similiter professio fieri poterit, ex l. qui potest invitari 26. ff. de reg. jur. quare nec illius consensus desideratur, nec ut emittat castitatis votum, exigitur. Sanchez ubi proxime & disput. 10. num. 5. Nec textus in cap. 1. cap. cum sis 4. hoc titulo, ubi consensus, & votum in remanente in seculo requiruntur, ad hunc casum pertinent, sed procedunt, quando matrimonium manet integrum, nullâ culpâ conjugum maculatum, ob quam divortium fieri debeat. Sanchez dicto num. 15. Quod si dubites, qualiter de infidelitate, aut adulterio debeat constare, ut propter eam causam liceat innocenti religionem profiteri, dicendum quod ad validitatem professionis informiter satis est, ut hæc crimina admittantur, propter quæ separatio matrimonii fiat quoad thorum; sed in foro exteriori necesse est constare de crimine apostasiæ, aut lata sententia divortii, aut ea no-

torietate, quæ sufficiat, ut liceat propriâ auctoritate divertere, nec aliter professio jure emittitur, ut plenè explicat Sanchez dicto lib. 10. disput. 11. 12. & 21. Hæc autem, quæ diximus in hoc quarto casu, planè procedunt in conjugem innocente ad religionem transeunte; sed in adultero, aut infideli aliud servandum est, quia ij si repeti possunt in matrimonium, non habent jus alios repetendi, quia cum propter culpam eorum separatio fiat, prodesse illis non debet, ut à matrimonii thoro liberentur, si innocens repetitionis jure uti maluit: ita Glossa verbo *Redire*, in cap. ex literis, de divortio; & alii, quos refert, & sequitur Sanchez dicto lib. 10. disputat. 10. num. 3. æquitati enim repugnat, adulterum infidelem ex delicto suo commodum consequi, argumento legis itaque 12. vers. Sed furti, ff. de furtis. Quæ sententia sine dubio admittenda est, quando res integra est, & status nullius conjugis est immutatus: at si res non sit integra, multum interest, an innocens religionem profiteri, aut statum incompatibilem cum matrimonio suscipiat, veluti Ordines sacros; & in hoc casu adulter liberè poterit religionem profiteri, etiam irrequisito conjugem: an verò ex parte innocentis nulla status mutatio interveniat, quo casu adultero non licebit in præjudicium innocentis profiteri, nisi illo requisito, aut non contradicente, ut contra Salicetum, & alios defendit Sanchez dicta disputat. 10. à numero 12. Nec tunc obstat textus in cap. ex literis 5. de divortio, ex quo colligitur, adulteram jus habere repetendi virum ad cohabitandum: ergo non licebit innocenti invita adulterâ religionem ingredi. Nam respondendum est, ideo in eo textu uxori adulteræ repetitionem concedi, quia vir simili adulterio matrimonium violavit; nam aliam duxit uxorem, & ita adulterium perpetravit: nam licet per adulterium fiat separatio, non tamen quoad vinculum conjugum dissolvitur, cap. 1. & 2. cap. placuit 5. cum sequent. 32. q. 7. cap. gaudemus, in fine, de divortio. Trident. sess. 24. de matrim. can. 7. probavi hæc in can. Concil. Illiber. Ubi autem uterque conjugum adulterium commisit, à jure divortii petendi uterque repellitur, amissâ mutui delicti compensatione, cap. penult. & ult. de adult. Cum enim civiliter mulier accusatur de adulterio, causâ divortii aut dotis lucranda, alterius adulterii mutua compensatio admittitur, l. viro 39. l. cum mulier 47. ff. solut. matrim. quod procedit etiam si post divortium aliud adulterium sequatur, dicto cap. ex literis. Quamvis si criminaliter agatur, compensationi locus non sit, nec possit mulier alio criminali

in alio iudicio experiri, l. 2. §. si publico, l. si uxor maritus adulterium perpetrasset, nō poterat
 13. §. iudex, ff. ad legem Juliam, de adulter. ullus conjugibus alio invito religionem in-
 unde cū in dicto cap. ex litteris, etiam gredi.

CAPUT XXVII.

(a) Idem.

Accedens ad præsentiam nostram I. mulier lachrymabiliter proposuit coram nobis, quod cū Vv. vir ejus (b) Elien. dicec. eam sibi in legitimo matrimonio copulasset, & per xx. ferè annorum spatium eidem cohabitans, prolem susceperat ex ea, volens tandem idem vir habitum assumere monachalem, postulabat humiliter ab eadem, ut tam pio proposito faveret ipsius: quæ propter multa verbera, & aliarum molestationum gravamina prædictus vir inferebat eidem, se ipsam asserens dimissuram, annuit votis ejus. Cūque idem vir ad domum de (c) Vendon. Cistren. Ordinis accedens, ibi religionis habitum assumpsisset, mulier ipsa transferens se ad domum monialium, nullo ibi religionis habitu assumpto, vel voto emisso conversionis, permansit ibidem, cui pro labore manuum suarum eadem moniales vitæ necessaria ministrabant. Processu verò temporis, cū idem vir ad seculum rediens, religionis habitum reliquisset, & eadem mulier se instanter ab eo petere reassumi, ipse illam recipere penitus contradicens, præter verba, quibus sæpe affectit eandem, sibi convicia plurima, & graves injurias irrogavit. Quocirca dil. v. per Ap. f. præc. m. quat. si resita se habet, & dicta mulier illius ætatis existit, ut de lapsu carnali illius merito valeat dubitari, dictum virum ut eam recipiat, eique affectum exhibeat conjugalem, per cens. eccl. ap. rem. (d) cogatis.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in quarta collectio-
 ne, sub hoc tit. cap. unico; nullibi tamen ex-
 primitur cui referat Innocentius, nec inter ejus
 epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto reperitur
 textus hic.
2. (b) *Eliensi.*] Diocesis est in Anglia, de qua

egi in capite postulasti, de rescriptis.

(c) *Vendon.*] An legendum sit *Vader*, five *Ven-
 der*, aut *Beruter*, non audeo asserere Manrique
 tom. 2. annal. Cisterc. anno 1148. cap. 16. num. 2.
 & anno 1150. cap. 11. num. 1.

(d) *Cogatis.*] Quia consensus ab ea præstitus
 nullus fuit, cū ex gravi metu esset extortus, juxta
 tradita in cap. 1. de his que vi.

CAPUT XVIII.

Honorius III. Episcopo, Decano, & Theaurario (a) Lingon.

Significavit nobis A. mulier, quod cū ipsa R. militi viro suo coram Decano sancti
 Quiriaci (b) Pruvenensis, vice bonæ memoriæ P. Archiepiscopi (c) Senonensis
 in hac parte fungente, licentiam concesserit Religionem intrandi, continentiam tamen
 voto eidem injuncto, & recepta fide ab ipsa, quod (d) perpetuo contineret, idem De-
 canus post factam professionem à milite antedicto in monasterio, in quo habitum assum-
 pserat monachalem, asseruit ipsam debere religionem intrare, quamquam id primò non
 expressisset eidem, hoc expresso ipsa illi licentiam non dedisset: ac eam ad hoc per vene-
 rabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Senonen. fecit pluries commoveri, propter
 quod eadem de consensu dicti Archiepiscopi nostrum super hoc consilium im-
 ploravit. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, & talis ætatis, qua suspicio
 non possit haberi, ipsam votum continentiam observantem intrare monasterium compell-
 li non permittatis.

NOTÆ.

1. (a) *Lingonensis.*] Ita restituo inscriptionem, &
 litteram hujus textus ex quinta compilla-
 tione Honorii III. cū male legatur in sexta colle-
 ctione, *Innocent. III. De Lingonensi Ecclesia*
 nonnulla notavi in cap. 8. de rescriptis.
- (b) *Pruvenensis.*] Legendum esse *Pruvenensis*,

jam notavit Cironius in *presenti*; quæ Ecclesia san-
 cti Quiriaci est Collegialis in diocesi Senonensi,
 sub Decanatu Pruvenensi.

(c) *Senonensis.*] Petri de Corbolio, de quo egi
 in cap. 1. de postul. Prælat.

(d) *Perpetuo contineret.*] In domo propria, sicut
 olim plures virgines, & viduæ castitatem pro-
 fitebantur, ut probat Cironius hic, & notavi

in can... Concil. Illiber. In presenti autem non agitur de ea professione, sed de continentia tantum, quam conjux in seculo remanens vovete tenetur,

si senex est; alioquin si juvenis sit, professionem emittere cogitur, juxta adducta in cap. 1. hoc tit. ex quo commentario præfens petendum est.

CAPUT XIX.

(a) Gregorius IX.

GAudeamus in Domino. *Et infra*: Mulieres verò, quæ relicto maritali thoro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum à te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ convertas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam (b) pœnitentiam ibi agant.

NOTÆ.

(a) **G**regorius IX. Ita legitur in hæcexta collectione; sed credo legendum esse, *Innocentius III. Tiberiad. Episcopo*, ut legitur in cap. *gaudemus, de divortiiis: cap. gaudemus, qui filii sint legitimi*; ubi, ni fallor, extant alia partes hujus decretalis. Tiberias urbs est Galilææ, ab Herode condita, itaque appellata in honorem Tiberii: dicitur Tiberias lacus, teste Ptolomeo

lib. 5. cap. 16. Habuit olim Ecclesiam Cathedralē, cujus Episcopus Joannes dictus subscripsit in Concilio Hierosol. ut refert Carolus à sancto Paulo in *Geograph. sacr. fol. 316.* & Prælato ecclesiastico præsentis causæ cognitionem commissam fuisse, jam notavit Germonius *lib. 1. animadvors. cap. 9.*

(b) *Ut perpetuam pœnitentiam.* Non tamen ideo moniales efficiebantur, ut latè probavi in cap. *de regul.*

CAPUT XX.

Idem l. moniali monasterii de (a) Plauda.

DUdum à C. laico motà contra te (quam uxorem suam dicebat) materià quæstionis R. sanctæ M. in Cosmedin Diac. Cardin. dedimus auditorem. Coram quo dictus C. conquerendo proponens, quod indebitè recusabas eidem (cujus uxor eras per consensum de præsentī, & carnis copulam subsecutam) matrimonialiter adhærere, te sibi restitui postulavit. Ad quod fuit responsum, quod ipse pro animæ suæ remedio, pura, & spontanea voluntate, præsentibus duobus religiosis sacerdotibus, & adhibitis quinque testibus fide dignis, omni juri, quod in te habuerat, renunciavit omnino, resignando illud in manibus alterius ex sacerdotibus supradictis, qui in personam Ecclesiæ resignationem hujusmodi recipere procuravit: & quod idem C. se castitatem servaturum promisit, pauperumque Hospitalis de Ponte obsequio se devovit, promittens voto solenni omnia, & singula supradicta, & tribuens tibi licentiam ad monasterium transeundi: te verà vice similiter promittente, ac tribuente illi licentiam, & jus quodlibet resignante, sicut hæc omnia dicebantur per publicum instrumentum esse probata, manu B. notarii Aretinensis confectum. Verùm prænominatus C. proposuit, quod casu amisso instrumento præfato, illud in prima persona, quod priùs erat in tertia, insertis pluribus, in uno aliter quàm in alio, fuit ab ipso formatum; & cum tibi iratus fuisset, sicut verba, & verbera indicabant, nondum calore (b) iracundiæ quiescente, quidam ipsum deceptorie allexerunt, proponentes eidem, quod in Hospitali prædicto cibis ad libitum posset uti, ac proprium retinere; præfato B. sibi nihilominus promittente, quod non solum ardorem, sed etiam appetitum libidinis extingueret in eodem: propter quod quicquid in hac parte fecisse dignoscitur, iratus, seductus pariter, & illectus, & sub spe promissionis, ac sub ea (c) conditione, vel modo, si posset continentiam observare, asseruit à se factum. Sed ad ista respondebatur econtrà, quod an tabellio in tertia persona instrumentum conficiat, vel in prima (dummodo non mutetur substantia veritatis,) nihil interesse videtur. Insuper quamvis aliquando spes memorato C. data fuisset, per quam ad hoc se proposuit inductum; eo tamen tempore, quo talia facta fuerunt, purè, simpliciter, ac voluntariè pro amore Dei, & remedio animæ suæ, solummodo ad votum, & ad alia supradicta noscitur processisse, propter quod à consortio secularium hominum debet discedere, vitamque mutare, cum se illius ætatis esse proponat, ut sine suspitione incontinentiæ non valeat in seculo remanere. Nos itaque habito f. n. consilio, te ab impeti

impetitione dicti C. sententialiter duximus absolvendam, perpetuum illi super hoc silentium (d) imponentes.

NOTÆ.

1. (a) **P**landa.] Forſan legendum eſt, de Ploda, quod eſt ditiffimum cœnobium in Italia, juxta lacum Larij, ut refert Paulus Jovius in *deſcriptione ipſius lacus*.
2. (b) *Iracundia*.] Sed non extra mentem, aut judicio alienatus; quo caſu etiam votum tempore iracundiæ factum valet. Suarez *de reli-*

gione tom. 2. lib. 1. de voto, capite 9.

(c) *Conditione*.] Quæ ſi expreſſa eſſet, redderet actum conditionalem, ita ut ea deficiente, nullus eſſet, juxta tradita à Baſilio *lib. 3. de matrim. cap. 1.*

(d) *Imponentes*.] Cùm maritus conſenuit, caſtitatemque ſolemniter promiſerit, & obſequiis hospitalis ſe devoverit, juxta ſuprà tradita *in cap. 1.*

CAPUT FINALE.

(a) Idem.

Mulier, quæ in fide remanſit, poteſt nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem liberè convolare.

NOTÆ.

1. (a) *Dem*.] Gregorius IX. videlicet, qui præſentem conſtitutionem edidit motu proprio, abſque ulla relatione, ſeu conſultatione, cùm

nulla Decretalis extaret in hoc titulo, quæ caſum adulterii ſpiritualis comprehenderet, in quo idem dicendum eſſe, ac de adulterio carnali, jam ſuprà notavimus *in cap. 3. De divortio* ob hæreſim infra agemus *in cap. quanto, de divortio*.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

CAPUT I.

(a) Cœleſtinus III.

AUDABILEM, &c. *Et infra*: Cæterum, quod interrogasti de Sarracenis, qui dum in captivitate eſſent quarundam Chriſtianarum, viros earum (b) inſidiis, & machinationibus occiderunt, utrum quia poſtea per ipſas ad fidem chriſtianam converſi ſunt, eaſdem de jure accipere poſſint in uxores, vel ſi duxerint, ipſum conjugium teneat. Hic Triburiensis (c) Concilii regulâ contenti ſumus, aſſerentis, quod ſi in mortem ipſorum virorum malitioſè fuerint machinata, licet earum ſtudio ad eccleſiaſticam fidem acceſſerint; tamen nec eis adhærere debent, nec ſunt, ſi adhæſerint, tolerandi: non enim hîc diſpenſatio ſine periculo poſſet admitti, cùm tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit. Ad hæc Sarraceni quidam, qui in bello ſunt, Chriſtianos interteſſe notati; & chriſtiani ſimiliter Sarracenos, poſtea verò Sarraceni ad catholicam fidem à Gentilitatis errore converſi, uxores eorum, quos certamine bellico neci traderant, ſibi matrimonialiter copularunt, idipſum & Chriſtiani de Sarracenis mulieribus converſis ad fidem feciſſe noſcuntur; quæ tamen poſtquam priorum virorum morte compererunt veritatem, divortium inſtanter expoſcunt. Reſpondemus quoque in his, quod cùm nec Sarraceni, nec chriſtiani mortem alterutrorum procurariſſe noſcantur, matrimonium hujusmodi inter prædictas perſonas licitè contrahi poteſt, & taliter copulati, cujuſcunque ſexus exiſtant, divortium poſt mortem conjugum poſtulare non poſſunt. Idem (d) ſi quidem juris erit in ſequenti caſu, quem proponere